IOSEPHI SCALIGERI
IVL. CÆS. F.

Auctor damnatus opus vero permissum

DE RE NVMMARIA Dissertatio,

LIBER POSTHVMVS:

Ex Bibliotheca Academiæ Lugd. Bat.

Castillo

EX OFFICINA PLANTINIANA
RAPHELENGII,
1616.

promouendis natus: quem vt perpetuum nobis esse velit, summum illud numen supplex veneror.

Vestræ Amplitudini

addictissimus

WILLEBRORDVS SNELLIVS

R. F.

NO-

NOMINA AVTORVM VETERVM ET RECENTIORVM

qui hoc libello citantur, explicantur, aut emendantur.

Phi-

Testa-

HOTOMANNVS ad illum Liuii locum : *Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum.* τετράδραχμα *vocant, trium ferè denariorum in singulis est pondus*: tandem post longam dissertationem subiicit:

Dixerit nunc aliquis, Ecquid igitur Conciliationis, aut solutionis affers? Ad Ciceronem, inquibat Aquilius Gallus, si quis ad eum de facto rettulisset. Ad Scaligerum igitur, aut Puteanum, aut Passeratium, aut Lipsium, inquam ego: vel alium pari ingenii felicitate præditum. &c.

IOSEPHI SCALIGERI IVL. CÆS. F.

DE RE NVMMARIA ANTIQVORVM, DISSERTATIO;

Liber posthumus.

QVOD Latinis Pecuniæ ſignatæ nomine intelligitur, id Græcis Νόμισμα dicitur: vt ſunt Nummi; qui non dicuntur Pecunia, ſed pecuniæ nomine cenſentur. Neque enim dicimus: Denarius eſt pecunia argentea valens ſexdecim aſſibus: ſed, Denarius eſt pecuniæ argenteæ nummus. Νόμισμα mediæ vetuſtatis Græci pro quauis ſpecie Nummi dicunt. Sic Heſychius: Νομίσματος ἀργυρίου δραχμαὶ δέκα. Vetuſtiſſimi autem nummum non νόμισμα, ſed νομίσματος eſſe dicebant. Talentum vero νόμισμα vocabant, quia dinumeratione, non corpore conſtabat. Non enim Talentum eſt nummus, ſed νομίσματος ἀργυρέου δραχμαὶ ἑξακισχίλιαι. Nummus, vt ait Iuuenalis, eſt

Conciſum argentum in vultus facieſq; minutas:

cuiuſmodi eſt Drachma & Denarius. At Talentum non ita; quod non nummi, ſed pecuniæ no-

A mine,

mine; intelligitur. Non enim est ἀργυροῦ τι χάραγμα, sed ἀργυροῦ νομίσματος ὁλκὴ, καὶ ἄθροισμα. Locus est luculentus apud Ammonium: Τετράχμον, τὸ νόμισμα. Τετράδραχμον δὲ τῶν τεσσάρων δραχμῶν. Qui aliis Στατὴρ vel Τετράδραχμον dicitur, hoc proprie dicitur Τετράχμον. Valor autem eius vt quatuor drachmæ, aut XXIIII oboli. Mihi contra sentire videtur, Staterem ipsum proprie dici Tetradrachmon, & speciem nummi argentei; Τετράχμον autem eius valorem, puta IV drachmas aut XXIIII obolos, aut CXCII χαλκοῦς. Eustathius putat deprauatum esse ex Τετραδράχμου. Etymologicon negat. Porro ἄθροισμα, siue νόμισμα, aut pondere aut dinumeratione fungebatur. Menander:

Ὁλκὴν ταλάντου χρυσίου σοι, παιδίον,
Ἔστηκα τηρῶν.

Pondus talenti auri tibi appensum seruo, o puer.

Non enim nummum repræsentare potuit, cuiusmodi nullus erat; sed pondus. Aliter dinumerabatur. Plautus:

Talentum argenti ipsus sua dinumerat manu.

Quod igitur traditione vnius speciei præstari non poterat, hoc fiebat aut pondere, aut dinumeratione, vt ostensum est. Nulla enim gens est, quæ non solum nummis, sed etiam certa nummorum collectione non vtatur, quæ nummi quidem vnius vice fungitur, sed tamen nummus non est, quia tanti ponderis species cudi non possunt; cuiusmodi Talentum, Mina, Libra, & apud Teutonas Tonna auri, quæ est ὁλκὴ, aut ποσότης, non nummus. Ἐν νομίσματι Græcorum huiusmodi ἀθροίσματα duo sunt, Mina & Talentum: in Romana pecunia, vnica Libra est: quod verbum triplici notione fungitur.

gitur. Nam & certum pondus significat; vnde Librales lapides dicuntur: & id, ad quod pondera examinantur; vnde Libripens, ὁ σαθμοῦχος: & pecuniæ corpus, quod tam numero quàm pondere fungitur. Hæc tria quoque in vno nomine Ταλάντα deprehenduntur. Nam & ponderis nomen est, quod dicitur στατικὸν τάλαντον, vnde ταλαντιαῖοι λίθοι, & ταλαντιαία χάλαζα, quod Latinis Librales lapides, & Libralis grando: & examen, vel trutina. vt Homero:

——— δύω ἐτίταινε τάλαντα.

Aristophanes:

ἀλλ' ἢ ταλάντῳ μουσικὴ σαθμήσεται·

& denique νομίσματος ἄθροισμά τι. Vnde Talentum Euboïcum, Ægineticum, Babylonicum, Atticum, Siculum.

PECVNIÆ, vt iam diximus, maximus modus apud Græcos Talentum; apud Romanos Libra. Apud Siculos Talentum erat ἀνάλογον Libræ Romanæ, non autem ἰσοδύναμον. Et quidem ἀνάλογον, quatenus duodecima eius pars erat Νοῦμμος, vt Libræ Romanæ Vncia. Ἰσοδύναμον autem Romanæ Libræ non erat, vtpote quod Denarii Romani vix septima pars esset. Igitur Talentum Siculum priùs erat XXIIII νόμμων: postea XII æstimatum est. eratque non nummus, sed ἄθροισμα, siue ὁλκή. Νοῦμμος autem erat τριῶν ἡμιωβολίων, hoc est XII χαλκῶν, quantorum octo est obolus Atticus. Sed Tarentinis νοῦμμος erat argenteus, cui incusus erat Taras Neptuni filius Delphino insidens. cuiusmodi multos vidimus hodie drachmæ pondere, si bene memini. Apud Suidam: Τὸ Τά-

A 2 λαντον

λαντον δὲ τὸ νῦν λεγόμενον Ἀττικὸν, παρὰ Σικελιώταις τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν μνῶν κδʹ, νῦν δὲ ιβʹ. Legendum νέμμων κδʹ. Quæ mendoſa lectio impoſuit doctiſſimo Agricolæ pag. 296. *Siculum,* inquit, *vetus, fuit quatuor & viginti minarum.* Itaque Talentum Siculum erat CXLIIII χαλκῶν, XVIII obolorum, trium drachmarum Atticarum. Quod & Feſti auctoritate comprobatur; apud quem legimus: *Alexandrinum* (Talentum) XII *denariûm: Neapolitanum ſex denariûm: Syracuſanum triũ denariûm: Rheginum victoriati.* Atque ita Talentum Siculum erat ἀνάλογον Libræ Romanæ, quatenus, vt diximus, in duodecim νέμμους tribuebatur, vt Libra Romana in totidem vncias: cuius partibus longe conuenientius reſpondebat λίβρα. Nam & Libra eſt nomen Siculum, quod ipſis λίτρα dicebatur: & Vncia, Sextans, Quadrans, Triens, Dextans ſunt plane Sicula nomina. Et λίτρα non erat nummus; ſed ὁλκὴ, ποσότης, ἄθροισμα. Eius duodecima pars dicebatur οὐγκία, duodecimæ duæ ἑκτᾶς· tres τετρᾶς, quatuor τριτᾶς, quinque duodecimæ πεντόγκιον, dimidium ἡμίλιβρον, ſeptem duodecimæ ἑπτάγκιον, vel ἑπταόγκιον. & ſic deinceps. Quare Vncia non eſt Romanum, ſed Siculum, vt Sextans, quod eſt ἑκτᾶς, ἑκτᾶντος· prius dictum ἑκτάς, & poſtea ἑκτᾶς. vt quod aliis φωνήεις, τιμήεις, αἰγλήεις, Siculis & Doribus omnibus φωνᾶς φωνᾶντος, τιμᾶς τιμᾶντος, αἰγλᾶς αἰγλᾶντος. Pollux libro IV, poſtquam docuit λίτραν eſſe verbum Siculum, & Dorienſium, ſubiicit: Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῇ Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ προειπὼν, ὡς ἐζημιοῦντο πεντήκοντα λίτρας, ἐπάγει· Ἡ δὲ λίτρα δύναται ὀβολὸν Αἰγιναῖον. ἐν δὲ Ἱμεραίων πολιτείᾳ φησὶν, ὡς οἱ μὲν Σικελιῶται τοὺς δύο χαλκοῦς ἑξᾶντα καλοῦσι,

καλοῦσι, τὸν δὲ ἕνα οὐγκίαν. Aristoteles, inquit, duos æreolos à Siculis ἑξάλιτρα vocari perhibet; vnum autem οὐγκίαν. Mirum verò genus loquendi, ἑξάλιτρα vocari, pro sexta parte τῆς λίτρας, quod ἑλληνικώτερον diceretur ἑκτημόριον τῆς λίτρας. Mirum, inquam, genus loquendi; sed quod exemplo non caret. Nam quo modo dicitur τριτομηνὶς ἡ τρίτη τοῦ μηνὸς, eodem dicendum esset ἑκτάλιτρον. Nam ἑξάμηνον sunt sex menses; & ad hanc analogiam ἑξάλιτρον essent sex libræ, non sexta pars libræ. Et τρίμηνον sunt tres menses, τριτομηνὶς tertia pars mensis. Sed error est in codicibus Pollucis, & legendum, τοὺς δύο χαλκοῦς ἑξᾶντα καλοῦσι· quod postea demonstrabimus. Sequitur, τὸν δὲ ἕνα οὐγκίαν, τοὺς δὲ τρεῖς τριάκοντα. Sane τριάκοντα nō est verbum Siculum: neque vllo modo efficies, vt τριάκοντα sint τρεῖς χαλκοῖ. In libro IX hæc ferè repetuntur: Καὶ μὴν ἐν τῇ Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ φησὶν Ἀριστοτέλης ζημιοῦσθαί τινα τριάκοντα λίτρας. δύνασθαι δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν Αἰγιναῖον. ἀλλὰ μέν τοι παρ' αὐτῷ ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ καὶ ἄλλα εὕροις Σικελῶν ὀνόματα οἷον οὐγκίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα· καὶ ἓξ τάλαντα, ὅπερ ἐστὶ δύο χαλκοῖ· καὶ τρία τάλαντα, ὅπερ τρεῖς· καὶ ἡμίλιτρον, ὅπερ ἕξ· καὶ λίτραν, ὅπερ εἶναι ὀβολόν. Quod hic dicitur, tres æreolos, siue tres vncias vocari τρία τάλαντα, supra libro quarto dicit vocari τριάκοντα. Atqui, vt diximus, neutrum est verbum Siculum; & præterea τρία τάλαντα non est vnum verbum, sed duo. Legendum igitur: καὶ τριᾶντα, ὅπερ τρεῖς. Hesychius: Τριαντος, πόρνη λαμβάνουσα τριάκοντα· ὅ ἐστι λεπτὰ εἴκοσι. Legendum omnino: Τριαντὶς, πόρνη λαμβάνουσα τριᾶντα· ὅ ἐστι λεπτὰ εἴκοσι. Sed errat Pollux, qui τριᾶντα putat esse τρεῖς χαλκοῦς: quum dictum sit, non a numero duodecimarum, siue vnciarum,

ſed à numero partium, quæ metiuntur duodenarium numerum, quæ ſunt I, II, III, IIII, VI. hoc eſt, vncia, ſextans, quadrans, triens, ſemis. Quod autem ἡ πόρνη, quæ mercedem acciperet τριᾶντα, dicta ſit ab eo τριαντὶς, ἀνάλογον eſt ei, quod apud Pollucem legitur: πόρνην, quæ στατῆρα mercedem acciperet, στατηρίδα dictam eſſe à Theopompo Comico ἐν Καπηλίσιν·

Οὔ φησιν εἶναι τῶν ἑταιρῶν τὰς μέσας
Στατηρίδας. —

Aliter στατηρίδιαι dicebantur. Nam στατηρίδιον eſt στατῆρος ἄξιον, vt δραχμίδιον δραχμῆς. Rurſus apud Heſychium: Τετρᾶντα, τετράγωνόν τι σχῆμα. δηλοῖ δὲ καὶ τοὺς τέσσαρας χαλκοῦς. Idem error, qui Pollucis. Non enim Τετρᾶς quatuor duodecimas ſignificat, ſed quartam partem de duodecim. Non eſt tamen error, quatenus eſt ἰδιωτισμός. Ita enim loquebantur vulgo. atque eam κατάχρησιν cernere eſt apud Vitruuium, libro X, cap. XI, qui diuiſionem in partes quatuor & octo, vocat tetrantes, & octantes. *In capitibus circino diuiduntur circinationibus eorum tetrantibus in partes quatuor, vel octantibus in partes octo ductis lineis.* Vides quadrati & octogoni deſignationes in circulo ἰδιωτικῶς καὶ καταχρηστικῶς vocari tetrantes, & octantes. quod profecto idem eſt, quod Heſychius dixit, τετρᾶντα τετράγωνόν τι σχῆμα. Item: Τετραντίας, τετράγωνος, καὶ ἰσχυρός. Tetrantes igitur, trientes, octantes ſunt verba Sicula. Nam ὀκτᾶντα eadem analogia efferre poſſumus, vt τετρᾶντα, ἑξᾶντα, τριᾶντα. Quincuncem vero vocabant, quo modo & Romani, πεμπώγκιον. Nam πέμπε illis eſt πέντε. Epicharmus: Ἦρ' αἱ* μαντεῖαι, αἱ θ'* ὑπονέμοντι γυναῖκες μέγ' ἂν πεμπώγκιον ἀργύριον,

ἄλλο

ἄλλαι δὲ λίτραν, αἱ δ' ἂν ἡμίλιτρον δεχόμεναι. Lege: Ἦσ' αἱ μὲν τριᾶνθ', αἱ δ' ὑπονεμόμεναι. Idem: Ἔχω γὰρ τὸ βαλάντιον λιτροδεκάλιτρον ἑξάγγιόν τε καὶ πεντάγγιον. πεντάγγιον dicit, quod supra πεμπτέγγιον: ἑξάγγιον autem, quod ibidem ἡμίλιτρον. Rectum enim erat πενταέγκιον, καὶ ἑξαέγγιον.

QVIBVS animaduerſis manifeſtum eſt Romanos a Siculis in re nummaria multa accepiſſe: *Nummum, vnciam, ſextantem, quadrantem, trientem, libram*: non autem Siculos a Romanis, vt falſo credidit vir ſummus Georgius Agricola. Nam & Varronis auctoritate ſummoueri poteſt; qui ita ſcribit: *In argento* NVMMI. *id eſt à Siculis*. Pollux: Ὁ δὲ Νοῦμμος δοκεῖ μὲν εἶναι Ῥωμαίων τοὔνομα τοῦ νομίσματος· ἔστι δὲ ἑλληνικὸν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ ἐρίων (Δωριέων legendum.) quæ Agricolæ aduerſantur. Sane quæ partes metiuntur Aſſem, I, II, III, IIII, VI, vncia, ſextans, quadrans, triens, eæ omnino ſunt à Siculis. Quincunx, ſeptunx, eæ quoque imitatione eorundem dicebantur, πεμπτέγκιον, ἑπτέγκιον. BES, & DODRANS hactenus originem ſuam non produnt. Beſſem quidem ſcimus compoſitum eſſe, & poſterius membrum eſſe ab Aſſe. Veterum hic mos fuit, vt aſſem ſiue integritatem trifariam ſecarent, quas Græci μοίρας vocant. Homerus:

Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε, παρώχηκεν δὲ πλέον νὺξ
Τῶν δύο μοιράων. —

δύο μοίρας illas δίμοιρον vocabant, Latini Beſſem: quod prius Dueſſem, vt Duellum, Bellum: Duonum, Bonum. Quia enim ex vno aſſe tres fecerant, ideo duos aſſes vocabant illas duas partes. Dodrans mire deficit ab origine ſua. Nam vt De-

xtans dicitur pro Desextans ; ita Dequadrans prius dicebatur, cui quadrans deerat ad duodecim. Dequadrans igitur prius, postea Dodrans, mira detorsione. De, vt omnes sciunt, est στερητικὸν μόριον: vt Demens, qui mentem non habet. sic Desextans, qui sextantem non habet, ad complendum duodenarium: Dequadrans, cui deest quadrans. Postea Dodrus & Dodralis sumptum pro nouenario; vt apud Ausonium:

Δώδεκα πότος καὶ ἀριθμὸς ἔχω μέλι, οἶνον, ἔλαιον,
Ἄρτον, ἅλας, βοτάνην, ζωμὸν, ὕδωρ, πέπερι.

& Latinè Dodralis potus vocatur apud eundem Ausonium. Deuncis aperta est originatio. Sed mirum Deuncem Iabussem, aut Labussem, vt quædam exemplaria habent, dici à Beda; ab Arnobio Dibussem. Video quidem posterius membrum ex Asse, vt Bessem. Sed vt reliquum ignoramus, ita a putidis coniecturis calamum continebimus. Iam Litræ Siculæ valorem deprehendere non admodum operosum, quandoquidem Aristoteles λίτραν scripsit δύναται ὀβολὸν Αἰγιναῖον. Obolus autem Æginetiсus ad Atticum habebat rationem, quæ dicitur à priscis Latinis besaltera: id est solidum cum besse, vt x ad vi. Obolus Atticus erat χαλκῶν, siue æreolorum octo. Ergo obolus Ægineticus, qui & Corinthiacus, erit æreolorum xiii cum triente. Sic drachma Æginetica erat obolorum Atticorum decem. Sed repugnat Diodorus, qui ait Δημαρέτειον nummum aureũ valuisse decem drachmis Atticis, & ἀπὸ τοῦ σταθμοῦ vocatum vulgo a Siculis πεντηκοντάλιτρον. Quod si λίτρα est Αἰγιναῖος ὀβολὸς, in quinquaginta λίτραις, siue obolis Æginetiсis, erunt oboli Attici $83 \frac{1}{3}$, quæ sunt drachmæ

Atticæ

Atticæ ferè 14, non 10. nam x drachmæ Atticæ sunt 36 λίτραι Siculæ. quæ multum absunt a L. Contra, ex verbis Diodori v λίτραι esset drachma Attica. Vncia autem paulo maiuscula erit æreolo. Quemadmodum autem apud Atticos, & alias Græciæ gentes in argento non erat ἄθροισμα maius Talento; ita apud Siculos in ære minus ἄθροισμα erat τὸ δεκάλιτρον, maius τὸ λιτροδεκάλιτρον. vltra illud nullum maius æris vocabulum erat. Τὸ δεκάλιτρον quidem erat æreolorum CXXXIII & trientis: τὸ λιτροδεκάλιτρον autem MCCCIII & trientis, paulo plus quam obolorum Atticorum CLXVI, drachmarum Atticarum XXVIII non solidarum. quod Græcè diceretur δραχμῶν κη̄ βραχέων. In hoc quoque etiam Siculos Romani secuti sunt: apud quos modicum ἄθροισμα est DECVSSIS, maximum CENTVSSIS. Varro: *Quod primum est ab decem assibus* DECVSSIS. *Secundum ab duobus decussibus* VICESSIS. *Reliqua conueniunt: vt* TRICESSIS *proportione, vsque ad* CENTVSSIS, *quo maius æris proprium vocabulum non est.* As igitur Romanis, vt λίτρα Siculis, est solidum quid, & integritas, non solum in re nummaria, sed etiam in magnitudinibus; vt hereditas, & pes: quia & hereditas in duodecim partes, & pes in duodecim pollices diuiditur; quæ partes tam hereditatis quam pedis, Vnciæ vocantur. Nam pedis diuisio duplex est, & eodem vtraque recidit. Diuiditur enim in sexdecim digitos, itemq. in duodecim vncias, qui sunt pollices. & hæc diuisio fortasse dicitur monetalis, quia As & Vncia sunt monetariorum verba. Legimus in libris de Limitibus agrorum: *Item dicitur in Germania in Tungris pes Drusianus, qui*

habet monetalem pedem, *&* *ſeſcunciam*. Vides, quando pes diuiditur in vncias, pedem monetalem dici. Nam Vnciæ ſunt Pollices, vt apud Vegetium. Inde etiam Hieronymo Vnciales literæ, id eſt Pollicares. Pes igitur ille Druſianus maior eſt Romano ſeſcuncia. Fuit enim XVII digitorum, quantorum ſexdecim eſt pes Romanus. Ex quo colligimus pedem Druſianum omnino eſſe eum, qui hodie in Gallia & Belgio in vſu eſt: qui profecto maior eſt ſex digitis, quantorum XVI eſt pes, qui Romæ in hortis Angeli Colotii ſcalptus in ſaxo viſitur. Eum enim nos cum pede Gallicano comparantes id veriſſimum eſſe deprehendimus. Pollices igitur vncias vocabant, vt ex Vegetio & Hieronymo docuimus. Et in Aquitania & maiori parte Galliæ adhuc digiti vocantur vnciæ. Hinc Plauto Copulæ ſeſcunciæ, vel, vt tunc loquebantur, ſecunciæ, hoc eſt ſeſquipollicari craſſitudine. nimirum χειροπέδαι τετραμιδακτυλιαῖοι τὸ πάχος. In Plauti Epidico in optimo exemplari ſummi viri Ioachimi Camerarii ita legebatur:

—Nam per vrbem duo defloccati ſenes
Quæritant me. in manibus geſtant copulas ſecum ſuas.

vbi *ſecuncias* manifeſto legendum. quod alii dicunt ſeſcuncias; vt ſexdecim, ſedecim, treſdecim, tredecim; ſedecimus ſexdecimus in Vita Virgilii. Itaque Pondo, & As, erat pes: & Dupondius Columellæ duo pedes; aut bipedalis menſura. Inde hic ſeſquis, hoc ſeſqui, ὁ ἡμιόλιος, τὸ ἡμιόλιον, quod eſt SEMIS CVM ASSE. Compoſita cum nomine As varie deſinunt; Octuſſis, Octas; Seſcuſſis, Seſquas. In Gloſſis: *Seſquas*, ἓν ἥμισυ ἀσσάριον, χαλκοῖ ἕξ.

Didy-

Didymus: Τὸ γὰρ CHCKOYAC σύνθετόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ CH, καὶ τοῦ KOYM, καὶ τοῦ AC, ACCIC. καί ἐστιν ἥμισυ σὺν ἀσσαρίῳ. τοῦτ' ἔστιν ἓν ἥμισυ ἀσσάριον. As, & Assarius, idem est. sed alterum substantiuum, alterum adiectiuum. quod quum dicimus Assarius, intelligitur nummus, vt Denarius, & Sestertius. semper enim de nummo κατηγορεῖται. Græcis vero semper neutro genere, τὸ δηνάριον, τὸ ἀσσάριον, τὸ σηστέρτιον. Sic Dupondium & Dupondius pro eodem quum dicerent, Dupondius nummus intelligitur. At Dupondium est substantiuum. Quia vero initium pecuniæ in ære; propterea omnis ratio nummaria Æris nomine appellata. Nam AES pro Asse. Varro: *Pro assibus nonnunquam* AES *dicebant antiqui. a quo dicimus assem tenentes:* HOC AB AERE AENEAQVE LIBRA: & MILLE AERIS LEGASSE. Numquam Æs pro Asse dictum. Nam quod dicitur HOC AB AERE, id est, raudusculo, quod quum mutatum esset in assem, retinuit nomen æris, siue raudusculi. Et Martialis merito reprehendendus:

Amphora vigessis, modius venit ære quaterno.

æs quaternum, sunt quatuor asses. Et vini amphoræ precium quintuplum ad frumenti modium esse significat. Et tamen ad istud exemplum non dixeris argento quaterno, auro quaterno, quia argentum & aurum, pro collectione nummorum, non pro singulari nummo sumitur: Æs vero pro vtroque. Nam Mille æris, est collectiuum; Aere quaterno, est singulare. Sed hoc solus Martialis vsurpauit. Athenis omnis pecunia χαλκίον vocabatur, vt docet Pollux. Sic Romanis Aes est omnis pecunia.

meo

——meo ſum pauper in ære.

Inde ἀχαλκεῖν eſt pecuniam non habere. In Epigrammate:

——εἴπις ἀχαλκεῖ,

Μηκέτι πειράτω θεὶς τὸ χιτωνάριον.

Nummus aureus Athenis ſemper dictus fuit Στατὴρ antiquitus. Nam poſterioribus temporibus Στατὴρ pro tetradrachmo acceptus eſt. Tetradrachmum igitur argenteus nummus erat; Στατὴρ aureus, pondere duarum argentearum drachmarum, valore viginti. Zonaras: Παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν εἴκοσι δραχμῶν τὸ χρυσοῦν ἀλλάττεται νόμισμα. Lyſias ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων ait quinque millia ſtaterum, decem millia drachmarum, tria talenta, item decem, & ſeptem talenta omnia ſimul conficere talenta XL. Sane ſumma omnium, præterquam ſtaterum, conficiunt drachmarum centũ triginta millia. quæ ſi de ducentis quadraginta millibus drachmarum, quot nimirum ſunt in Talentis XL, deducantur; relinquentur centum decem millia drachmarum; quæ diuiſa per quinque millia ſtaterum, relinquent ſtaterem drachmarum XXII. Sed ἀλογχερῶς hæc dicta ſunt, nõ ἀκριβῶς. Dixit enim non τετταράκοντα Talenta eſſe, ſed περὶ τετταράκοντα. Heſychius: Δραχμὴ χρυσοῦ· ὁλκὴ νομίσματος, εἰς λόγον ἀργυρείων δραχμῶν κ. Idem Suidas repetit. Drachmam auream ait eſſe non nummum, ſed pondus viginti drachmarum argenti. Sed ea eſt ὁ στατὴρ. Nam δραχμὴ χρυσοῦ proprie erat decem drachmarum argenti. Idem: Χρυσοῦς. Πολέμαρχος δυνάσθαι φησὶ τὸν χρυσοῦν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς δραχμὰς δύο. τὴν δὲ τοῦ χρυσοῦ δραχμὴν, νομίσματος ἀργυρίου δραχμὰς δέκα. Μνᾶν δὲ λέγεσθαι τοὺς πέντε χρυσοῦς. Hic igitur

tur apertius quam priore loco, ait Drachmam auri valere drachmis decem argenti. Ideò Mina erat decem drachmarum auri, staterum autem quinque, quos vocat πέντε χρυσοῦς. Daricum eundem esse cum statere, nemo dubitat; & Harpocratio ostendit: Λέγουσι δὲ τινες δύνασθαι τὸν Δαρεικὸν ἀργυρᾶς δραχμὰς ὀκτώ. ὡς τοὺς πέντε Δαρεικοὺς δύνασθαι μνᾶν ἀργυρίου. Et mediocriter peritus censuerit legendum δραχμὰς κ', non η'. Quæ similitudo in libris scriptis sit inter κ & η, non est monendum. Τρισχίλιοι Δαρεικοὶ Xenophonti sunt δέκα τάλαντα. Talentum autem 6000 drachmæ. Ergo Δαρεικὸς sunt 20 drachmæ. Auri enim potestas ad argentum decupla erat tam in re nummaria, quam ponderaria. Pollux, quod & ab aliis citatur: Τὸ δὲ χρυσίον, ὅτι τοῦ ἀργύρου δεκαπλάσιον ἦν, σαφῶς ἄν τις ἐκ τοῦ Μενάνδρου παρακαταθήκης μάθοι. προειπὼν γάρ·

Ὅλου ταλάντου χρυσίου σοι, παιδίον,
Ἔστηκα τηρῶν· —

ἐπάγει μετὰ ταῦτα περὶ τούτου λέγων·

Μακάριος ἐκεῖνος δεκατάλαντον καταφαγών.

Talentum auri, decem talenta vocat. Polybius super fœdere Ætolico: Διδόντες τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου, χρυσίου μνᾶν. quod Liuius vertit: *Dum pro argenteis decem aureus vnus valeret.* vbi τὸ *pro* abundat. Ita loquitur Plinius. alioquin est barbarismus, Nummus aureus valet pro decem drachmis. Drachma igitur auri est decem drachmarū argenti. Hanc drachmam Anaxandrides Comicus Ἡμίχρυσον vocat; Plautus NVMMVM: Siculi Δημαρέτειον νόμισμα. Neque Nummus absolute apud Plautum positus, aliter accipiendus. Vt in Pseudolo cocus ait:

Illi drachmis issent miseri. me nemo potest
Minoris quisquam nummo, vt surgam, subigere.

En hîc plus est Nummus, quam aliquot drachmæ. Nam, vt putamus, quotidiana coqui merces erat τετράδραχμον. vt illius apud Athenæum:

— ἀλλὰ διὰ τὰς τέτταρας
Δραχμὰς ἀποβαλῶ, φησὶ, τὴν προαίρεσιν.

In Aulularia quoque cocus quum dicit:

Nummo sum conductus; plus iam medico mercede est opus;

ibi quoque Nummus est merces coqui decem argenteæ drachmæ, aut ἡμιχρυσοῦς, vt Anaxandrides vocauit. In Menæchmis porci sacres nummo præstinantur. Quod si nummi nomine drachma, aut nummus sestertius intelligeretur, quam ridiculum esset porculos adultiores, drachma, aut minoris venire? Sed apud Aristophanem porci sacres tribus drachmis indicantur:

Εἰς χοιρίδιον δάνεισόν μοι τρεῖς δραχμάς.

Glossa apud Suidam: Ἐπὶ τῶν μελλόντων ἀποθνήσκειν, ἢ μυεῖσθαι. ἐπεὶ οἱ μυούμενοι χοῖρον ἔθυον. In Persa:

Quid igitur? sexcenti nummi quid agunt? quas turbas danunt?

Sexaginta minas, quot scilicet puella vendita fuit, sexcentos nummos vocat. hoc est sexcentas drachmas auri, quod est talentum Atticum. Drachma enim auri est decima pars Minæ argenti. In Truculento seruulus, qui vna mina argenti opsonauerat, quinque autem ad herilem amicam defert, ait sese de ea mina, qua opsonauerat, partem Herculaneam reliquarum quinque minarum detraxisse quinque nummos. Pars Herculanea, est decuma. & proinde decuma de quinque minis, siue quingentis

gentis drachmis, ſunt drachmæ quinquaginta, quas ipſe nummos quinque vocat. Ergo quinque illi nummi ſunt πέντε δραχμαὶ χρυσαῖ, aut πέντε ἡμίχρυσοι. quæ eſt Herculanea pars earum quinque minarum argenti, quas ad meretriculam deferebat, nimirum quinquaginta drachmæ, quas de mina, qua opſonauerat, detraxit. vt quinquaginta drachmis duntaxat opſonauerit; reliquas quinquaginta furatus ſit. Hinc quod in Perſa leno queritur de ſexaginta minis, nummos ſibi detractos duos; intelligendum nimirum de ſex millibus drachmarum viginti drachmas delibatas eſſe. Neque aliam ob cauſſam Trinummo fabulæ nomen factum credas, quam ob τρίδραχμον χρυσίον, quæ ſunt drachmæ argenti xxx. In Moſtellaria:

Vbi ſunt iſti plagipatidæ, ferritribaces viri,
Iſti, qui trium nummorum cauſſa ſubeunt ſub falas?

Memineris te legere palliatam argumenti Attici. Nihil enim hic Romanum eſt; quod putarunt viri eximie docti, colligentes ex Polybio διώβολον. Atqui διώβολον non ſunt tres aſſes. Sermo eſt igitur de illis militibus Atticæ terræ, quibus drachma in ſtipendium diurnum procedebat: vt menſtruum ſtipendium fuerit triginta drachmarum argenti, quæ ſunt drachmæ auri, ſiue ἡμίχρυσοι, hoc eſt nummi Plautini, tres. Thucydides de Athenienſibus: Δραχμὴν γὰρ τῆς ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανον: & in extraordinario ſtipendio idem ponit διδράχμους ὁπλίτας. qui ſane ſunt, qui διδραχμιοπλῖται Polluci libro quarto, capite altero & vigeſimo, in fine. vbi etiam quidam milites Comica vernilitate dicuntur τριακονταδραχμόπυργοι, à triginta drach-

mis

mis argenti menstrui stipendii; & Falis, quas, vt Plautus indicat, subibant. vt dubium non sit, quin Plautus ab eodem Comico illa desumpserit. In istis Plautinis versibus de stipendio Romani militis intelligere, est toto cælo errare. Polybius enim Plauto ætate inferior scribit sæculo suo militi Romano διώβολον diurnum stipendium fuisse; qui est triens denarii: ita vt militi menstruum stipendium esset drachmæ decem, qui est nummus Plautinus. Qui vero hoc putant, non cogitarunt nummum absolute positum apud Plautum esse drachmas decem; argenti autem mentione adiecta, esse drachmam. vt in Pseudolo:

Nimis miser sum: nummum nusquam reperire
argenti queo.

hoc est, drachmam argenti. vt in Epidico:

Locare argenti nemini nummum queo.

In Rudente verò expressit:

Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt.

Ibi sunt ἡμίχρυσοι, & drachmæ auri. Et in Epidico plane ἑλληνικῶς dixit *auream*, hoc est drachmam. vt Comicus, vnde accepit, χρυσοῦν.

Non meministi me aureā ad te adferre natali die?

οὐ μέμνησαι χρυσοῦν σοὶ προσφερέσθαι ὑπ᾽ ἐμοῦ ἐν τοῖς γενεθλίοις σοῦ; Nummos enim adferri herilibus filiis natalibus diebus a seruulis, nemo ignorat. Et aliquid de hoc more delibatur in Phormione, scena, *Amicus summus meus, & popularis, Geta.* In Epidico:

Redde igitur, quot minis emit? TH. *Tot. quadraginta minis.*

(*Tot.* digito notauit quadraginta, ex Computo manuali, quem docet Beda.)

Id

Id adeo argentum ab Danista apud Thebas sumsit fœnore:

In dies, minasque argenti singulas, nummis. EP. *Papæ!*

Vnius literulæ commutatione tota sententia perturbata. Legendum:

In dies, minasque argenti, singulis nummis.— id est drachmis auri. Immanis, & inusitata, ac vere lenonia vsura, quæ in duodecim mensibus consurgebat ad 14400 drachmas, quæ sunt CXLIIII minæ. Singulæ enim Minæ in annum reddunt tantum XII drachmas: ac proinde ex XL minis annuæ redeunt CCCCLXXX drachmæ. quæ est trigesima pars huius lenonii fœnoris: vt merito seruus exclamauerit, *papæ.* Nam in XII diebus leno lucratur, quod CCCXXX ex legitimo fœnore sperare ius sinebat. Atque hæc satis de nummo Plautino tam argenteo quam aureo. Sed ad στατῆρα, vnde defleximus, reuertendum. Et errant qui apud Plautum nummum interpretantur στατῆρα. Nam στατὴρ, vt diximus, est duplus nummi Plautini. erat enim pondere διδράχμου. nummus autem Plautinus δραχμὴ χρυσοῦ, quod Syracusanis dicebatur Δημαρέτιον. Στατὴρ, vt diximus, apud veteres Atticos erat nummus aureus valens drachmis argenti viginti. Nam argenteus στατὴρ, non hoc, sed τετραδράχμου nomine vocabatur. Στατὴρ dictus est ἀπὸ τοῦ ἱστάναι, quod est ponderare; quemadmodum Siclus Hebræis, qui erat ἰσοδυνάμος τῷ στατῆρι τετραδράχμῳ, similiter dictus ab eo verbo, quod Hebraice ἱστάναι, & ponderare significat. Hoc enim est שקל. Et quemadmodum Hebræis Siclus pondus momentaneæ lancis dicitur, ita etiam στατὴρ

Atticis, qui aliter Μνᾶ. Pollux: Ο῾ δὲ [χρυσοῦς] σατὴρ μνᾶν ἠδύνατο. Dele vocem χρυσοῦς inclusam virgulis. Planissimus sensus relinquitur: Ο῾ δὲ σατὴρ μνᾶν ἠδύνατο, καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱσαμένοις τὴν μνᾶν τὴν ῥοπῆς σατῆρα ὀνομάζουσιν. Designat enim Μνᾶν duplicem esse. alias enim ῥοπὴν, siue lancis momentaneæ pondus; alias νόμισμα significari. & quidem ῥοπὴν illis versibus Eupolidis:

——— ὅτ᾽ ἦν μέν τοι νεώτερος, κρόκης
Πέντε σατῆρας εἶχε ναὶ μὰ τὴν Δία.
Νῦν δὲ ῥύπτει γε δύο τάλαντα ῥᾳδίως.

In his senariis citandis multum hallucinatur summus vir Budæus, cui vox obreptitia χρυσοῦς imposuit. Nam tam σατὴρ, quam τάλαντον notionem ῥοπῆς habet, hoc est, non νόμισματος, sed ponderis. Inde πεντεσάτηρον, id est πεντάμνουν. Hippocrates Comicus ὑπὸβαρατραθύκη:

Οἷαν γὰρ, οἶμαι, καλὸς ἄνθρωπος, παχὺς,
Α᾽ργὸς λάβῃ δίκελλαν, εἰωθὼς τρυφᾶν,
Πεντασάτηρον, πίγεται τὸ πνεῦμ᾽ ἄνω.

Ita enim castigandi hi senarii apud Pollucem. Ibi πεντασάτηρος δίκελλα est πεντάμνους. quod nimirum, vt ait Pollux, σατὴρ & μνᾶ in re ponderaria sint idem. Itaque recte apud Hesychium: Τετρασάτηρον, τὴν τετράμνουν. in nummaria immane quantum discrepant. Sed quod Comicus dixit πεντασάτηρος composito verbo, id simplici quoque dicebatur σατῆρος. quod Hesychius interpretatur πεντάμνουν. quia pondus quoddam dicebatur Στάτος. Idem Hesych. Στάτος, σκάφη. ἄλλοι δὲ τὰς πέντε μνᾶς. Τάλαντον autem νόμισματος duplex erat, τάλαντον χρυσίου, καὶ τάλαντον ἀργυρίου. alterum quidem τριῶν χρυσῶν, sexaginta drachmarum argenti. alterum

rum sexaginta minarum; sex millium drachmarum argenti. Pollux: Ἠδύνατο δὲ τὸ χρυσοῦν τὸ τάλαντον τρεῖς χρυσοῦς Ἀττικούς, τὸ δὲ τοῦ ἀργυρίου ἑξήκοντα μνᾶς Ἀττικάς. In Etymologico ex veteribus Scholiis Iliados: Ἠδύνατο καὶ τάλαντον χρυσοῦς τρεῖς. Philemo:

——ἂν δύο λάβῃ

Τάλαντα, χρυσοῦς ἓξ ἔχων ἀποίσεται.

Duo talenta sex aureas drachmas vocat: Nam ἓξ χρυσοῦς dicit, quod alii χρυσοῦς τρεῖς. Addit Grammaticus ex Lexico in Iliadem Homeri: ΤΑΛΑΝΤΑ. τὰ νῦν λεγόμενα παρ' Ἀττικοῖς ἑξακισχίλια. Intelligit Scholia illa breuia Homeri, in quibus hodie ita legitur: Ἰλιάδος Ι.

Ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα.

τοὺς νῦν παρ' Ἀττικοῖς λεγομένους ἑξακισχιλίους στατῆρας. Sane omne talentum Atticum est ἑξακισχίλιον. quod si aliquod aureum talentum, vt vult ille Scholiastes, est sex millium drachmarum, ii fuerint χρυσοῖ trecenti. Sed id ridiculum esset, quum decem talenta cum septem tripodibus æneis conferantur, qui nullo modo possunt decem talentorum ἑξακισχιλίων æstimari. In eum locum Homeri Eustathius non dubitat olim Atheniensibus fuisse τάλαντον ἑξακισχιλίων στατήρων. Quod est ineptum. Virgilius tamen hunc locum Homeri in animo habens, intellexit de vero talento:

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.

& alibi:

——argenti magnum dat ferre talentum.

Sed Hero Alexandrinus Mathematicus τάλαντον Homericum falso interpretatur Δαρεικόν. Τὸ δὲ παρ' Ὁμήρῳ τάλαντον ἴσον ἐδύνατο τῷ μετὰ ταῦτα Δαρεικῷ. Ἄγει δὲ τὸ χρυσοῦν τάλαντον Ἀττικὰς δραχμὰς δύο,

γράμματα δ' * τέταρτας δηλαδὴ τέσσαρεις*. Sed χρυσοῦν τάλαντον dixit, quod χρυσοῦ dicendum erat. χρύσεια τάλαντα sunt lances ponderariæ, aut libra momentanea. χρυσοῦ τάλαντα, est νόμισμα. Creberrima mentio Magni Talenti apud Plautum, Virgilium, & Terentium, alios. Et tamen, quod mireris, nunquam Græci μεγάλου ταλάντου meminerunt. Hoc, inquam, satis mirari non possum. Sed antequam de Magno Talento agamus, hoc ad viam præmuniendam dicendum nobis est. Numerus aut absolutus est, quod Græci vocant ἀπαρτιλογίαν, item ἀπηρτισμένην ψῆφον· aut aliquid ei deest, aut superest. Aliter ἀπηρτισμένος ἀριθμὸς dicitur, quando Millenarii, relictis paucis Centenariis, aut Centenarii neglectis summulis excurrentibus, vsurpantur. vt Lysiæ χίλιοι, pro χίλιοι διακόσιοι. Harpocration in vocibus χίλιοι διακόσιοι. Λυσίας δ' ἐν τῷ πρὸς Κλεινίαν, καὶ Ἰσαῖος ἐν τῇ ὑπὲρ Νικίου συνηγορίᾳ τῷ ἀπηρτισμένῳ ἀριθμῷ ἐχρήσατο, χιλίους εἰπόντες. Vulgo vocatur Numerus rotundus. Hoc secutus Pollux Talentum Babylonium dixit habere ἑπτακισχιλίας δραχμάς, quum tamen haberet δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς, hoc est ἑπτακισχιλίας, καὶ διακοσίας δραχμάς. Ælianus ποικιλ. α'. κβ'. Talentum & Mina sunt numerus, & collectio pecuniæ, non species nummi. Quæ igitur constabant numero, non specie, eorum summa nunc integra præstabatur, nunc maior, nunc minor. Quod enim Talentum non semper eodem numero daretur, fidem fecerint verba Liuii in fœdere Antiochi: *Talentum ne minus pondo octoginta, Romanis ponderibus pendat.* Si eadem summa Talentum semper fungeretur, non opus erat præstituere modum illius. M. Seneca Controuersia

trouersia v. lib. x: *Asinius, qui bellum cum omnibus Atticis gerebat, quum donaret illi Cæsar talentum, in quo* XXIIII *sestertia sunt Atheniensium more,* ἢ προσθὲς, φησὶν, ἢ ἄφελε, ἵνα μὴ Ἀττικὸν ᾖ. Quia Talentum Atticum erat præcise VI millium; Asinius autem Atticos ita oderat, vt nihil, quod Atticum morem referret, amare posset, iubebat Talento Attico aliquid addi, aut ei aliquid detrahi. Et tamen semper vocabatur Talentum, siue quid illi deesset, siue accessisset. Omnino quod proxime aberat a iusto modo Talenti, aut Minæ, siue plus, siue minus esset, hoc ex illa inæqualitate non amittebat appellationem Talenti aut Minæ, perinde ac si iustus eius modus fuisset. vt in illo loco Lysiæ alibi à nobis producto ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων, viginti talenta, decem millia drachmarum, quinque millia staterum, quæ sunt drachmarum ducenta triginta millia, dicuntur esse περὶ τετταράκοντα τάλαντα, circiter quadraginta talenta, cum sint tantum talenta XXXVIII, drachmæ bis mille. Parua item summa, quæ supra modum iustum excurrit, non magis extinguit nomen librarum, quam illa longe maior, quæ deest, impedit, quo minus talenta quadraginta dicantur, in quibus trigesimonono absoluendo desunt duo trientes, quæ sunt drachmarum quatuor millia. vt apud Demosthenem κατ' Ἀφόβου, centesima vsura, quæ redit ex Minis LXXX, in annis duodecim, ea simul cum sorte dicitur redigi ad Talenta tria. Centesima vsura minarum LXXX in annis duodecim fiunt drachmæ 11520. quibus adde 8000 drachmas minarum LXXX. Fiunt drachmæ 19520. quæ sunt talenta tria solida, & præterea excurrentes

drachmæ mille quingentæ viginti. Idem pater eloquentiæ alibi ait xxx minarum centesimam in octo annis æquari sorti. Sors sunt Minæ 3000. Vsura octo annorum 2880. Desunt drachmæ cxx. Apud Anastasium 780. Talenta sedecim, quæ fiunt libræ mille trecentæ. Libræ, in quas incurrunt lxxii argentei, de quibus intelligit Anastasius, in talenta xvi, siue argenteos 96000, distributæ dant libras $1333\frac{1}{3}$. Excurrunt libræ $33\frac{1}{3}$. Lampridius Elagabalo: *Numquam cenauit minus centum sestertiis, hoc est argenti libris trecentis*. Centum sestertia denarii 25000. trecentæ libræ 25200. Excurrunt 200 denarii. Anastasius: Talenta sexdecim, quæ fiunt libræ mille trecentæ. xvi Talenta sunt 96000 drachmæ. diuisa per 1300 dant libram 74 drachmarum fere. Atqui 72 tantum drachmarum fuit Libra senescentis Imperii, de qua intelligit. Denique τὸ πλέον ἢ ἧττον, aut περὶ μᾶλλον λέγειν, non aufert, minuit, auget, aut mutat appellationes summarum maximarum. Στατὴρ, vt paulo ante vidimus, est drachmarum xx, & proinde obolorum cxx: quorum sexta pars xx oboli. At quidem apud Craterem Comicum in Lamia, dimidium sextæ partis τοῦ στατῆρος, sunt octo oboli. ita vt sexta pars sint oboli xvi, & proinde στατὴρ sit tantum xvi, non xx drachmarum. Pollux: Οἱ μὲν δὴ ὀκτὼ ὀβολοὶ, ἡμίεκτον ὠνομάζοντο, ὥς φησιν ἐν Λαμίᾳ Κράτης·

Ἡμίεκτον ἐστὶ χρυσοῦ. μανθάνεις; ὀκτὼ ὀβολοί.

Ille qui apud Comicum hoc dicit, xvi drachmas argenti in manu habebat, quas στατῆρα vocauit, quia quatuor tantum drachmis abest à Statere. propterea vt ὁλοσχερῶς, non ἀπαρτιλόγως xvi drachmas

mas vocauit Staterem, ita octo obolos dimidium sextæ partis Stateris esse dixit, vt solebat fieri in summis, quæ propius abessent a iusto modo Talenti, Minæ, Stateris; aut exiguo illum excederent. Errat enim Pollux, qui octo obolos putet esse τὸ ἡμίεκτον τοῦ στατῆρος. Hoc enim ex occasione, non ex vsu, pronunciatum est. Possem non paucos locos ex Demosthene adducere, in quibus Talenta vocantur, quæ nunc iusto maiora, nunc minora sunt. In vetustissimo testamento Cretensi non semel διακόσιαι δραχμαὶ dicuntur, quæ antea dicebantur διακόσιαι δέκα. Polybius interpretatur τὸ ἡμιασσάριον, τὸ τέταρτον ὀβολοῦ. quum ἡμιασσάριον sit ἡμιόλιον χαλκοῦ, at τέταρτον ὀβολοῦ τὸ δίχαλκον. Sidonius Epistola XXIIII libri IIII. *Cauta centesima est fœneratori, quæ per bilustre producta tempus modum sortis ad duplam adduxit.* Octennio dicit centesimam vsuram sorti æquari, quum tamen adhuc quatuor menses desiderentur. Qui *bilustre tempus* interpretantur decennium, quantum eos decipi necesse sit, nemo non videt. Nam Lustrum Latini nunc quadriennium Iulianum, nunc vetus Romanorum quinquennium intelligunt. Lustrum enim est περίοδος temporis quantilibet. In libro Mosis, Numerorum 3, 39 capita censentur 22000, quæ tamen erant 22300. Sic Romæ XXX tribus dicebantur, quæ tamen erant XXXV. Sic LXX Interpretes vocamus, quos dicunt LXXII fuisse. Sic denique ἐν Τακτικοῖς, Πεντακοσιάρχης dicitur, id est Præfectus quingentorum militum, qui tamen erant quingenti duodecim. Res igitur quæ constant numero, pondere, & mensurâ, triplici modo vsurpantur, aut κατ' ἀπαρτιλογίαν, aut κατὰ τὸ μᾶλλον, aut

κατὰ τὸ ἧπλον. Iuſtus modus, ſecundum quem dicitur ἀπαρτιλογία, vocatur νόμισμα. vt in re nummaria, νόμισμα τοῦ ἀργυρίου : in ponderibus, νόμισμα τοῦ σταθμοῦ: in menſuris, νόμισμα τοῦ μέτρου. Suidas: Χοὸς διξέστου. Χοῦς γὰρ δύο ξέσται. Χοεὺς ἢ ὁ ξ. Ἀριστοφάνης·

Εἴ τις κάπηλος, ἢ καπηλὶς, τοῦ χοός,
Ἢ τῶν κοτυλῶν τὸ νόμισμα διαλυμαίνεται.

Nam νόμισμα eſt quicquid in vſu poſitum eſt. Ariſtophanes Νεφέλαις·

——— σχῶπεν γὰρ θεοὶ
Ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι.———

Hinc apud Philoſtratum : δραχμὴν εἰς Τιβέριον νενομισμένην. hoc eſt εἰκόνι Τιβερίου κεχαραγμένην. lib.I. cap.XI. de vita Apollonii. Quod igitur modum non excedebat, id commodum vocabatur. Commodum talentum, commodum pondus, commoda amphora. Plautus Aſinaria:

Viginti argenti commodas minas, huius quas dem matri.

In Mercatore:

PE. *Numquam edepol me vincet hodie.* CH. *Commodis poſcit, pater.*

In Rudente:

Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena.

Auctor priſcus in fine Notitiæ Imperii : *Commodæ auctoritatis priſcæ monetæ.* Vitruuius libro IIII. cap. II. *Sub tectis, ſi maiora ſpatia ſunt, columen in ſummo faſtigio culminis, vnde & columnæ dicuntur, & tranſtra, & capreoli. Si commoda, columen, & canterii prominentes ad extremam ſuggrundationem.* Hic commodum, quod iuſtum modum habet. Sic Lucilio millia commoda, id

eſt

eſt iuſta, quibus nihil deeſt, nihil ſupereſt.

Millia porro bis quina octoginta videbis
Commoda de Capua. —

Nam ingens ſumma, tametſi aliquid ei deeſſet, non tamen nomen amittebat. Ideo ſolida dicebatur. vt Horatius:

Vt decies ſolidum exorberet. —

Herodoto ἀπετὴς dicitur libro IIII, 157: Ἑξακοσίους ἀμφορέας ἀπετέας χωρέει τὸ ἐν Σκύθῃσι χαλκήϊον: *Sexcentas amphoras commodas capit Ahenum, quod in vſu eſt Scythis.* Male excuſum eſt ἀπετέως. Idem: Τεσσέρων ἀπετέων δακτύλων: Quatuor digitum commodorum. Itaque Heſychius ἀπετέως interpretatur ἀρτίως. id eſt, integre, vbi nihil deeſt ſummæ, iuxta mentem Herodoti. vbi videtur legiſſe ἀπετέας. quod eſt vetuſtum mendum. Nam ſi ἀπετέας δακτύλους dixit, quid ni & ἐυπετέας ἀμφορέας? Hoc idem ſignificat δίκαιον. Herodotus: Αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαι εἰσὶ στάδιον ἑξάπλεθρον: *Centum autem vlnæ commodæ ſtadium ſex iugerum faciunt.* quomodo apud Ciceronem iuſta itinera. Apud Herodotum idem eſt μέτριον modicum. Nam libro primo: Ὁ δὲ βασιλήϊος πῆχυς τοῦ μετρίου ἐστὶ πάχεος μείζων τρισὶ δακτύλοισι: *Cubitus regius modico cubito* (ſiue *commodo*) *maior eſt tribus digitis.* Vnde quas commodas Minas vocat Plautus non ſemel, eas modicas alibi dicit. In Pſeudolo:

At me modicis multauit minis.

Et modica amphora, id eſt commoda. Plautus:

Anus hæc ſitit. quantillum ſitit? modica eſt.
quadrantal capit.

Nam per modicam amphoram intelligit iuſtam, quæ XLVIII ſextarios capit. vt contra quinqua-

genariam Cato dicit, quæ quinquaginta capit. Vitruuius 1, 1. *Ordinatio est modica membrorum operis commoditas.* tam τὸ commoditas quam τὸ modica ab eadem origine pendet. Theognis μέτριον vocat, quod Plautus modicam amphoram, aut modicum quadrantal.

——μέτρον γὰρ ἔχω μελιηδέος οἴνου.
Οὔτε τι γὰρ νήφω, οὔτε λίην μεθύω.

Quemadmodum quod τὸ μέτριον excedit, dicitur ὑπέρμετρον, ita quod ei abest, vocabatur διάμετρον. Harpocratio: Διάμετρον, τὸ ἐλλεῖπον ἀπὸ τοῦ δικαίως μεμετρηθέντος. Δείναρχος ἐν τῇ Καλλισθένους εἰσαγγελίᾳ. Idem enim τὸ σύμμετρον, quod μέτριον. In Tacticis: Λόχος. ἔνιοι μὲν τὸ σύστημα τὸ ἐξ ἀνδρῶν η'. οἱ δὲ τὸ ἐξ ἀνδρῶν ιβ'. οἱ δὲ τὸ ἀπὸ ις' ἀνδρῶν πλῆθος. ὃ καὶ τέλειόν φασι, καὶ σύμμετρον. Igitur σύμμετρον & τέλειον idem, cui nihil deest, neque excedit. Quod autem præter iustam mensuram est, illud est aut κατὰ τὸ μᾶλλον, aut κατὰ τὸ ἧττον: quum plus, aut quum minus iusto est. Quum plus est, hoc Græci vocant ἁδρόν. vt ἁδρὸς μισθός, qui excedit ordinarium. Ælianus apud Suidam: Τινὰς παραλαβὼν ἁδροῦ μισθοῦ ἐς Βυζάντιον ἐλθεῖν πείθει. Pollux dixit ἔναδρον. vt quum scribit: Λέγει δὲ τὸ μὲν Κεραπάτταλον, [hoc est τετράδραχμον] εἶναι ἔναδρον δραχμήν. Aliter dicebant παχύ. vt παχεῖα δραχμή, quæcunque excederet Atticam drachmam. qualis est Æginetica; quæ ad Atticam erat, vt decem ad sex: & Achiua, dupla ad Atticam. Pollux: Ἀλλὰ μὴν τὴν μὲν Αἰγιναίαν δραχμὴν μείζω τῆς Ἀττικῆς. δέκα γὰρ ὀβολοὺς Ἀττικοὺς ἴσχυεν, ἣν οἱ Ἀθηναῖοι παχεῖαν δραχμὴν ἐκάλουν, μίσει τῶν Αἰγινητῶν Αἰγιναίαν καλεῖν μὴ θέλοντες. Hesychius: Παχεῖα δραχμή. τὸ δίδραχμον. Ἀχαιοί. Quomodo Latine hæc summa dici possit, quæ

modum

modum excedit, nondũ comminiſci potui. Quod autem minus eſt, quam iuſtus modus, id βραχὺ vocabant. vnde βραχὺ τάλαντον. Auctor Etymologici, ex quodam probato commentario in Homerum: Εἰς τὸ Λεξικὸν τῆς Ἰλιάδος·

Ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα.
Εἰ γὰρ ἀεὶ τὰ ταλάντα τῶν Ἑλλήνων ἦν, βραχύ τι τὸ τάλαντον τοῦ χρυσοῦ ἦν παρ' αὐτοῖς, ὡς ὁ Δίφιλος ἐν ἀργύρῳ, βραχύ τι τάλαντον φησί. Hunc morem loquendi ſecutus Perſius curtum centuſſem dixit, cui aliquid deeſt, & aliquot aſſibus deficitur. Sic Xenophon ἀναβάσ. ζ. 248. 31. Μικρόν τι τάλαντον dixit, non aliquem modum Talenti definitum; ſed Talentum, cui aliquid deeſt. Non enim adieciſſet τί. Ἀργύριον μὲν οὐκ ἔχω, ἀλλ' ἢ μικρόν τι, καὶ τοῦτό σοι δίδωμι, τάλαντον. In Talmud legimus טֶפַח שׂוֹחֵק *palmus ludens*, id eſt non exactus, cui aliquid deeſt, aut ſupereſt, & ὁλοσχερέστερον, quam ἀκριβέστερον dictus eſt. contra טֶפַח עָצֵב *palmus moroſus*, vel *anxius*, id eſt ἀκριβὴς, cui nihil deeſt, nihil ſupereſt. Sic Hipponax, vt putamus, στατῆρας τοῦ ἑτέρου τοίχου dixit, qui appenſi in ſtatera non æquilibrium faciunt, ſed ſubſidunt, & lancem peſſum dant. Hoc enim eſt peſſumdare in re ponderaria, quum pondus lancem degrauat. Ponam Epigramma Hipponactis, quanquam lacerum:

Ἐμοὶ γὰρ οὐκ ἔδωκας οὔτέ πω χλαῖναν
Δασεῖαν ἐν χειμῶνι φάρμακον ῥίγους,
Οὔτ' ἀσκέρῃσι τοὺς πόδας δασείῃσι
Ἔκρυψας, ὥς μή μοι χίμετλα γίγνηται.
* * *
Ὦ φίλε Ἑρμῆ Μαιάδος ὁ Κυλλήνιε

* * *

Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι. κάρτα γὰρ ῥιγῶ,
Καὶ βαμβακίζω. * * *
Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι, καὶ κυπασίσκον,
Καὶ συμβάλικα, κἀσκέρκα, καὶ χρυσοῦ
Στατῆρας ἑξήκοντα θοὐτέρου τοίχου.

Στατῆρας τοῦ ἑτέρου τοίχου fortasse dixit τοὺς ἑτερορρεπεῖς, Gallice *trebuchans*, qui lancem in alteram partem appensi inclinant, translatione a nauibus, quæ εἰς ἕτερον τοῖχον procumbunt, prout læua, siue dextera, vt Catullus loquitur, spirat aura. Hoc Polluci dicitur τοιχίζειν, neque analogia prohibet ἑτεροτοιχεῖν dicere. Iuvenalis Satyra XII. dixit *Alternum latus*. Glossæ: *Latus dabat nauis*, id est, ἐτοίχιζε. Virgilius:

—— tum prora auertit, & vndis
Dat latus.

His ita demonstratis, nunc videndum quod fuerit Talentum magnum. Nam magni quidem mentio est semel apud Terentium, & non semel apud Plautum. Id autem non κατὰ τὸ μᾶλλον dictum, neque arbitrarium aut fortuitum eius, sed iustum aliquem modum fuisse, vt Horatio solidum, manifestum est ex Plauti Rudente:

Talentum argenti commodum magnum inerat
in crumena.

Sane quia *commodum* vocat, aliquem certum eius modum fuisse oportet. Quærendum igitur quis modus fuerit, & quot drachmarum. In eadem fabula piscatori offeruntur a lenone mille centum nummi. quibus ille spretis magnum talentum postulat sibi dari. Mille centum nummi Plautini, vt supra demonstratum est, sunt vndecim millia drach-

drachmarum. centenos alteros nummos hic desiderari constat, vt talentum magnum conficiatur, quia post mille spretos centum additi sunt. Talentum igitur commodum magnum fuerit duodecim millium drachmarum, duplum ad Talentum Atticum, quod erat 6000 drachmarum Atticarum. At drachmæ Atticæ dupla erat Achaïca, quæ vocabatur παχεῖα, vt supra vidimus. Erat ergo Talentum magnum sex millium drachmarum Achaïcarum. Et quia drachmæ illæ παχεῖαι vocabantur, ideo hoc Talentum τάλαντον παχὺ dictum esse videtur. quod penuria librorum, nuspiam legimus; quum tamen necesse sit, vt si quædam Mina sit παχεῖα, sit etiam Talentum παχὺ, quod ex 60 aut 120 eiusmodi minis constet. item ἁδρὸν, quemadmodum erat ἕναδρος, aut ἁδρεὰ δραχμή. Nam μέγα τάλαντον, certum est numquam nominatum fuisse vllum apud Græcos, neque μικρόν. Quodsi & μέγα & μικρὸν τάλαντον aliquod fuisset, id a Latinis maius & minus, non autem magnum, & paruum talentum dici debuisse. Priscianus magnum Talentum a Liuio definiri scribit id, quod LXXX librarum esset, quum tamen magni Talenti mentio nulla fiat in verbis Liuii. Idem quoque Grammaticus maiores nugas agit, quum scribit ita: *Et est sciendum, quod secundum Liuii computationem, centum minæ Atticæ, quarum singulæ septuaginta quinque drachmas habent, faciunt talentum magnum. Nam minus sexaginta habet, secundum Dardanum.* Dardanum enim, aut ipsum Priscianum vllum talentum fuisse septuaginta quinque minarum putasse, idque maius talentum vocari, propterea quod alius esset, quod minus diceretur,

ceretur, ineptum esse censemus, quum tale Talentum apud Atticos nullum fuerit; sed apud Euboenses, quorum talentum fuit septem millium quingentarum drachmarum, siue cistophororum, vt scribit Festus. Quare Euboïcum talentum, quod maius erat Attico mille quingentis drachmis, magnum dici debeat potius, quam Ægineticum, quod quatuor millibus drachmarum Atticum superabat, equidem non video. Quod igitur de magno & paruo talento dixit Priscianus, non maioris ponderis apud nos esse debet, quam quod postea eum secuti somniarunt viri doctissimi. Nam quod ἁδρὸν καὶ παχὺ a Græcis dictum fuit, id magnum vocant Plautus, & Terentius. Sed non ideo consequens est, vllum talentum paruum dici. Citat Priscianus ex decimo Epistolarum ad Nouatum: *Viginti quatuor sestertia, id est Talentum Atticum paruum.* Vltima vox addita est a Prisciano. Nullum enim vnquam paruum talentum fuit. Georgius Agricola Priscianum voluit superare commento, quum talentum maius dicat fuisse LXXX minarum, minus autem sexaginta. Quæ facile confutantur iis quæ supra ex Plauto adduximus; quibus manifesto demonstratur Talentum magnum fuisse drachmarum duodecies mille, siue minarum centum viginti. Grammaticorum commenta sunt magnum Talentum, paruum Talentum, & apud Isidorum minus, medium, summum. quæ sunt ineptissima. Sic iurisconsultissimus, & apprime eruditus duplex genus assium comminiscitur, graues & leues. quum tamen neque grauium neque leuium assium apud vllum veterem scriptorem mentio extet.

tet. Et si eiusmodi vlli asses fuissent, ii grauiores, & leuiores, non graues & leues dicendi essent. Quemadmodum enim ex eo, quod Talenti magni mentio fit apud Plautum & Terentium, ἐκ τῆς ἀγνοίας hariolati sunt esse aliquod paruum talentum: ita iste doctissimus vir ex eo quod Liuius semper meminit grauis æris, putauit asses quosdam fuisse, qui dicerentur leuiores, quum tamen graue æs, vt & pueri sciunt, opponatur non signato. Graue æs est τὸ ἐν σταθμῷ· asses autem æs ἐν νομίσματι. Sed quid faciemus illo loco ex Mostellaria, vbi duo talenta magna æquantur quadraginta & octaginta minis: quæ sunt cxx minæ, vt diximus. Nam de ædibus, quas filium præstinasse seruulus apud senem fingit, ita legimus:

—*quid eas quanti destinat?*

TR. *Talentis magnis totidem quot ego & tu sumus.*

Sed arraboni has dedit quadraginta minas.

Scena *Perii hercle:*

TH. *Minas tibi octaginta argenti debeo.*

Et post aliquot versus:

Tu caue quadraginta accepisse hinc te neges.

Hic duo magna talenta sunt cxx minarum: & proinde vnum talentum magnum sexaginta minarum. quod est talentum ordinarium. Quomodo ergo in Rudente talentum magnum est maius vndecim millibus drachmarum; hic vero est tantum sex millium drachmarum? quod tamen Agricola vocat talentum minus. Sane hic talentum magnum nihil aliud est, quam talentum commodum, integrum, solidum, ordinarium. In Curculione:

Alias

Alias me poscit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum.

nimirum quia triginta minæ est dimidium talenti magni. Sed in Rudente talentum magnum est tot drachmarum, quot duo hæc talenta. verba sunt hæc:

LA. *Mille dabo nummos.* GR. *somnias.* LA. *nihil addo. abi.* GR. *igitur audi.*
Si hercle abiero hinc, hic non ero. LA. *vin' centum & mille?* GR. *dormis.*
LA. *Eloquere hercle quantum postules.* GR. *quo nihil inuitus addas,*
Talentum magnum. non potest triobolum hinc abesse.

Postulat aliquid addi vndecim millibus drachmarum ad talentum magnum absoluendum. ecquid aliud præter centum nummos, vt proxime fecerat? Ergo talentum magnum in Mostellaria est LX minarum, in Rudente CXX. Quid hic dicemus? Expecto, qui nodum hunc soluat, quandoquidem nos hic hæremus.

Libra eo loco Romanis fuit, quo Mina Græcis, qui maiorem, vt ipsi loquebantur, ὁλκὴν νομίσματος non habuerunt. Nam talentum maior quidem summa est, sed ex minis præcise constabat. Vnde Seneca minam Atticam libram vocauit, libro X Epistolarum ad Nouatum, citante Prisciano: *Viginti quatuor sestertia, id est Talentum Atticum* [*paruum.*] *Viginti quatuor enim sestertia sexaginta libras habent.* Liuius quoque minas Atticas *pondo*, id est libras, vocat. *Talentum ne minus pondo octoginta, Romanis ponderibus, pendat.* Intelligit enim LXXX minas veteres Atticas, quæ talentum

talentum commodum conſtituunt drachmarum ſex millium. Vetus enim mina Attica ante Solonem, vt vulgo notum eſt, erat LXXV drachmarum. Apud Plutarchum enim perperam excuſum eſt ἑβδομήκοντα βιῶν, pro ἑβδομήκοντα πέντε· procliui lapſu OB' in OΓ'. Poſtea Solon quum σεισάχθειαν induceret, minam centum drachmarum conſtituit lege lata, qua drachmæ pondus ſolido quadrante imminuit: contracto pondere a LXXVIII ſpeltis ad LXIIII. Ita factum, vt idem pondus eſſet nouæ minæ centum drachmarum, quod antea veteris fuerat, quum eſſet LXXV drachmarum. Tamen Talento ſemper imputatæ ſunt octaginta veteres minæ; quemadmodum Romæ, poſtquam denarius ſexdecim aſſium æſtimatus fuit, in ſtipendio militari deni aſſes in denarium numerabantur. Hinc Appianus Bellorum Ciuilium lib. II, in fine ſcribit Cæſarem ſingulis de populo Minam Atticam donaſſe; quod de eadem re Plutarchus loquens in Bruto, & in Antonio δραχμὰς ἑβδομήκοντα πέντε dixit; & Suetonius in Cæſare *ſeſtertia trecenta*, id eſt denarios ſeptuaginta quinque, quot drachmas ponit Plutarchus. Romani autem in fœdere Antiochi Talentum pendi nolunt vſitatis ponderibus Atticorum, hoc eſt LXXX minis, quarum ſingulæ ſunt LXXV drachmarum Solonis, ſed ponderibus illis, quibus Romana Libra pendi ſolet. Quæ ſit illa Libra Romana, videndum, & quatenus ab Attica differat. Libram Italicam eandem eſſe cum Romana, maior pars doctorum hominum cenſet, & vtriuſque prætereа pondus diuerſum fuiſſe. Vtrumque falſum eſſe demonſtrabitur. Nam libram Romanam ab Italica non pon-

C dus,

dus, sed argenteorum nummorum diuersitas distinguit. Argenteus enim nummus Romanorum denarius est, Atticorum drachma. Sed pauciores denarii vnciam Romanam constituunt, quam drachmæ vnciam Italicam : quum tamen ambarum vnciarum eadem potestas, atque æquale pondus sit. Si igitur certo deprehendere possemus discrimen denarii & drachmæ, vtriusque Libræ pondus exploratum haberemus. aut si constaret nobis de pondere denarii, de libræ modo dubitari non posset. quod inuestigandum est. Et primum negamus eandem fuisse libram Romanam cum Italica. Ponderatores pigmentarii, aromatarii, & medici Græculi propriam libram habuerunt drachmarum nonaginta sex, quam Priscianus nunc Libram, siue Minam, Graiam, nunc Italicam vocat, non vtique Romanam. quomodo enim Romana fuerit, quam Græci medici in Italiam intulerunt? Alioqui si Romanam intellexisset, non Minam vocasset, neque statim a Libra Romana distinxisset, vt facit, neque ei drachmas ex Græcorum instituto, sed denarios, attribuisset; qui est nummus Populi Romani Quiritium. Remnius itaque Fauinus medicus initio Carminis sui, quum proposuisset de medicorum ponderibus scribere, vbi ad huius Libræ mentionem peruenit, eam medicam vocat.

Accipe præterea, patrio quam nomine Graij
Mnam vocitant, nostrique Minam dixere priores.
Centum hæ sunt drachmæ. quod si decerpseris illis
Quatuor, efficies hanc nostram denique libram.

Nostram

Nostram libram: hoc est, medicam, siue, vt ipse vocauit antea, Pæoniam. Ita enim exorsus est:

Pondera Pæoniis veterum memorata libellis
Nosse iuuat.

Toto cælo errant, qui Romanam libram intelligunt, inuito scriptore ipso. Meminisse saltem debebant, ex drachmis eam constitui, non ex denariis. Delibatis enim de centum drachmis quatuor, vel, quod idem est, sextulis tribus, factam ait esse hanc libram medicam, propter duodenarium numerum scilicet, cuius commoditas prælata est centenario, quod plures, quam ille, diuisiones capiat. Iccirco pulchre hanc Italicam Minam ab Attica distinguit ἀνώνυμος Nicandri interpres: Ἡ Ἰταλικὴ μνᾶ λίτραν μίαν ἥμισυ· ἡ δὲ Ἀττικὴ σάγια τρία. Italica Mina est vnius libræ, id est LXIIII drachmarum, & dimidiæ. quæ fiunt XCVI drachmæ. præter has XCVI, tria σάγια addita, hoc est sextulæ tres, vel drachmæ quatuor, constituunt Atticam centum drachmarum. Hero: Τῇ δὲ Ἀττικῇ μνᾷ πρὸς τὸ Ἰταλικὸν νόμισμα χρηστέον. ἰσοδύναμος γάρ ἐστι, καὶ ἰσοστάσιος τῇ Ἰταλικῇ μνᾷ. στατήρων γάρ ἐστι κε. ἡ δὲ Ἰταλικὴ λίτρα στατήρων κδ΄. Attica mina, inquit, est vigintiquinque staterum, vel τετραδράχμων: ergo centum drachmarum. Italica autem XXIIII: ideoque XCVI. Abutitur nomine Minæ Italicæ, pro Libra. Idem Hero: Γίνεται τὸ τάλαντον λιτρῶν ξβ΄ ∠΄΄ ἐν νομίσματι. Hoc est: *Talentum nummarium est librarum* LX. S. Diuisis drachmis VI. M, quot talentum constituunt, per LX. S, habebis XCVI drachmas in libram. Sed ἰσοστάσιοι, vt ipse vult, non erunt Attica, & Italica: siquidem altera quatuor drachmis præponderat, vt docet Cleopatras: Ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει

 οὐγκίας

οὐγκίας ιβʹ s. Ζʹϛ. Attica Mina habet vncias XII. S. drachmas c. Galenus: Ἡ μὲν γὰρ λίτρα δραχμὰς ϙϛ ἔχει πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα. Dioſcorides: Ἡ ἡ λίτρα ἔχει οὐγκίας ιβ, δραχμὰς ϙϛ. Scribunt medicis, non Quiritibus. *Medici* enim, vt teſtatur Plinius, libro XXI, quum de drachma loquitur, *fere Attica obſeruatione vtuntur*. Item Celſus medicus in Epiſtola ad Natalem: *Græci medici pondera medicamentorum ad drachmam redigunt*. Igitur mere peregrina fuit hæc libra, neque Græcorum, neque Romanorum propria, ſed communis vtriſque, in Italia Graia vocata, in Græcia Ἰταλική, vel Πτολεμαϊκή, quod itidem Alexandriæ medicis, ſeplaſiariis, aromatariis in vſu eſſet: neque magis Romanorum fuit, quod Italica dicta; quam Græcorum, quod Graia; aut Alexandrinorum, quod Ptolemaïca. Et ſane illa Libra ab auctoribus Græcis ſemper Ἰταλική, numquam Ῥωμαϊκὴ vocatur. Quæ ſit igitur Romana, videndum. Plinius ſcribit libro XXXIII. cap. IX. *Miſcuit denario Triumvir Antonius ferrum. Alii e pondere ſubtrahunt, quum ſit iuſtum* LXXXIIII *e libris ſignari*. En octageni quaterni denarii in libram. quod confirmatur Epiſtola Celſi ad Natalem, in qua palam, ac nullis ambagibus ſcribitur *octaginta quatuor denarios in libram incurrere*. Lampridius Elagabalo: *Idem numquam minus centum ſeſtertiis cenauit, hoc eſt, argenti libris triginta*. Sine vllo dubio legendum *libris trecentis*. Dictum eſt ὁλοσχερῶς. Non enim trecentis libris commodis ad vnguem reſpondent centum ſeſtertia, ſi diuidantur per LXXXIIII. ſed deerunt libræ duæ, denarii XXXII. Tamen hæc verba Lampridii de libra LXXXIIII denariorum agunt, quantarum trecentæ

trecentæ pauxillo excedunt ſeſtertia centum: hoc eſt denarium millia viginti quinque. quum trecentæ libræ Romanæ ducentis denariis maiores ſint ſeſtertiis centum. Neque vero nouum eſt *triginta* pro *trecentis* legi. Idem etiam error in Liuii codicibus hæſit lib. XXXIII: *Tulit in triumpho argenti denarios triginta, quatuor millia, & quingentos quinquaginta.* Quis tam exiguam ſummam in triumpho latam credat; & non videat legendũ *argenti denarium trecenta quatuor millia?* Hoc, vt ſuperius oſtendimus, quum de Talento diſputaremus, Græci vocant βραχὺ, quum παρὰ μικρὸν ſumma concipitur, hoc eſt ὁλοσχερῶς, καὶ οὐκ ἀκριβῶς. Plinius libro XII, cap. XIIII. de ture: *Etiamnum tamen inueniuntur guttæ, quæ tertiam partem Minæ, hoc eſt* XXIIX *denarium pondus æquent.* Græcus auctor, vnde Plinius hæc exſcribebat, Μνᾶν dixerat, quod Plinius retinuit, ſed tamen ad pondus Romanæ libræ accommodauit; vt vna opera & libram Romanam octaginta quaternum denarium, & eiuſdem ponderis fere cum Attica mina fuiſſe nos doceret. Nam tertia LXXXIIII denarium, ſunt XXIIX denarii; & eadem tertia pars centum drachmarum Atticarum, de quibus agebat ſcriptor, vnde Plinius ea hauſit, ſunt drachmæ triginta tres, ſcripulus vnus. Tantum igitur pendebant centum drachmæ Atticæ, quantum denarii Romani LXXXIIII. Dixi, fere: quia diſcrimen eſt quatuor drachmarum inter Atticam minam, & Romanam libram, quæ pondere eadem eſt cum Italica, diſtributione autem diuerſa, quatenus XCVI drachmæ in libram Italicam impendũtur, LXXXIIII autem denarii in Romanam. In loco Plinii, quem

proxime adduximus, duorum veterum codicum alter XXIX habebat, vnde XXIIX fecimus, alter XXVIII, qui confirmat emendationem nostram. In eo tamen multum æstuant duo summi viri Budæus, & Agricola: qui vt aliqua hinc se extricarent, ridicula commenti sunt, quæ nec adducam, neque confutabo. His animaduersis non erit operosum rationem denarii ad drachmam deprehendere ex verbis Liuii lib. XXXIIII. *Signati octaginta quatuor millia fuere Atticorum. Tetradrachma vocant. Trium ferè denariorum in singulis argenti est pondus.* τὸ FERE non ad denariorum trium, sed ad quatuor drachmarum excurrentem summam scrupulariam pertinent. Si enim ratio denarii ad drachmam esset, vt XXXII ad XXIIII, præcise Tetradrachmum æquale esset tribus denariis. Sed illud FERE ostendit rationem præcisam non fuisse, vt sane non est, inter LXXXIIII, & LXXV. Itaque ratio denarii ad drachmam fuit, vt XXV ad XXXII. Nam quater XXV, sunt centum; ter XXXII, fiunt XCVI. vt paruum discrimen sit inter Tetradrachmum, & tres denarios. Cleopatras vult rationem fuisse vt V ad IIII. itaque ter V sunt XV, & quater IIII erunt XVI. quæ ratio est præcisior quam superior. Sed non respondet ei quæ est quatuor ad tria. Nam aliud est quinque ad quatuor, aliud quatuor ad tria. Ex his, quæ demonstrata sunt, primi denarii Romani pondus ad drachmam Atticam fuit fere vt 82 granorum ad 64. Nam Atticæ drachmæ pondus fuit σιταρίων ξδʹ, quot hodie Iulius argenteus Pontificius, aut Regalis Castilianus, aut scutatus Solatus Francicus. Sed eiusmodi denarii tam graues, de quibus iam egimus, nulli

nulli extant hodie, qui ſcutatum Solatum, aut Iulium Romanum ſuperent XVIII granis, ſiue *σπαρίοις*. Sed extant multi, qui 72 granis pendent, capite Vrbis Romæ ſignati, & nota Denarii X. Quod ſi drachma penderet 63 tantum grana, octo tales erunt æquales ſeptem denariis 72 granorum ponderis. Huiuſmodi igitur fuerunt denarii primi. Proxime ſequuntur ii, qui ſepteni in vnciam imputantur, quæ fuit octo drachmarum; ita vt denarius ad drachmam fuerit, vt octo ad ſeptem, hoc eſt, vt XCVI drachmæ ad LXXXIIII denarios; & vt libra medica ad Romanam. Quod primus omnium nos docuit Celſus: cuius verba hæc ſunt libro V, cap. XVII. *Sed & antea ſciri volo, in vncia pondus denariorum ſeptem eſſe: vnius deinde denarii pondus diuidi a me in ſex partes, id eſt, ſex vncias: vt idem in vncia denarii habeam, quod Græci habent in eo, quem ὀβολὸν appellant. Id ad noſtra pondera relatum paulo plus dimidio ſcrupulo facit.* Tam notum eſt, hunc locum deprauatum eſſe, quam ſcimus, quid velit Celſus. Itaque doctus Agricola cenſet legendum, *id eſt, ſextantes*. Verum quidem eſt, denarium à Celſo in ſex partes diuidi. neque id ignorari poteſt. Sed ſextam partem cuiusvis rei ſextantem dici poſſe, niſi eius quam aſſem vocant Latini, & quæ in duodecim partes æquas diuiditur, non cõcedetur illi. quamquam Græci ἑκτημόριον dicunt cuiusvis ſolidi ſextam partem: Latine vero id ſextantem non dixeris, niſi ſolidum duodecim partium fuerit. Vult igitur Celſus, Denarium in tot partes diuidi, quot obolos habet Drachma. Habet autem ſex. ideoque vnus obolus eſt ſexta pars drachmæ, non

 ſextans.

ſextans. Nam ſextans ſunt duæ duodecimæ vnius ſolidi. Impoſuit librariis, aut typographis vetus nota, qua concepta fuit lectio Celſi : *vnius deinde denarii pondus diuidi a me in ſex partes, id eſt ſex* vɪclas: *vt idem in* vɪ̄cla *denarii habeam, quod Græci habent in eo quem* ὀβολὸν *appellant*. vɪ̄cla, eſt ſexcla; vt vɪ̄*ennium*, eſt ſexennium; vɪɪɪ*ennium*, octennium; pro quo in Epiſtola Paſchali Ambroſii ineptè excuſum *biennium*, quia *viennium* putarunt eſſe imperiti librarii. *Sexcla* autem, & *Sextula*, idem. Beda : *Seſcula, ſiue Seſcla, quatuor ſcripuli*. Scripſit igitur Celſus Sextulas, vel Sexclas. & ita reponendum. Romani igitur duas duodecimas ſextantem vocant; vnam autem ſextam, ſextulam. Vt libram medicam, quæ erat, vt vidimus, drachmarum xcvɪ, Romanæ adæquaret, ſeptem denarios vnciæ imputat; quod ipſe non innouauit, vt ex eius verbis colligi poteſt: ſed hoc eius inuentum eſt, denarium in ſextulas diuidere; vt vna ſextula denarii ἀνάλογος eſſet vni obolo Attico. ἀνάλογον dixi, non ἰσοδύναμον. Nam ipſemet docet, ſextulam denarii eſſe paulo maiuſculã ſemiſcrupulo. recte. xxɪɪɪɪ ſcrupuli in vɪɪɪ drachmis ſunt. vt autem totidem ſint in vɪɪ denariis, manifeſtum eſt, vnam ſextulam denarii paulo maiuſculam dimidio ſcripuli eſſe. Ergo ʟxxxɪɪɪɪ denarii, quæ eſt Libra Romana, ſunt æquales xcvɪ drachmis, quæ eſt Libra Italica, & medica. Et proinde libra Romana fuit ἰσοδύναμος τῇ Ἰταλικῇ, οὐ μὴν ἰσοστάσιος, καὶ ἰσάριθμος. Græci dicunt Talentum ἰσοστάσιον, καὶ ἰσάριθμον, quod pari nummorum numero conſtat, & cuius partes pro portione ſunt alii Talento. Omne enim Talentum conſtabat ſexaginta

Minis

Minis loci sui; Mina autem centum drachmis gentis eiusdem, & loci vbi eius vsus esset. Denique, vt Pollux scribit, omne Talentum habebat τὰς ἐπιχωρίους μνᾶς, καὶ δραχμὰς eodem numero. quod ἰσοστάσιον vocant Græci, καὶ ἰσάριθμον. Hero: Τὸ Ἀττικὸν τάλαντον ἰσοστάσιον μὲν τῷ Πτολεμαϊκῷ καὶ Ἀντιοχικῷ, καὶ ἰσάριθμον ἐν πᾶσι, δυνάμει δὲ τοῦ μὲν Πτολεμαϊκοῦ κατὰ τὸ νόμισμα τριπλάσιον, ἐπίτριτον δὲ τοῦ Ἀντιοχικοῦ. Aliud ergo est ἰσοστάσιος, aliud ἰσοδύναμος. Nam, vt ipse interpretatur, ἰσοστάσιος est ἰσάριθμος, quod in Talentis Attico, Ptolemaïco; Antiochico ἴσος erat ἀριθμὸς Minarum, & in Mina ἴσος ἀριθμὸς drachmarum. Sed potestate longe differebant, quod drachma Ptolemaïca duum obolum Atticorum esset, ideo tripla erat drachma Attica ad Ptolemaïcam, & sesquitertia ad Antiochicam. Nisi legissem apud Heronem, ego putassem ἰσοστάσιον esse ἰσόσταθμον. Sed Heroni est proportionale. Igitur Libra Romana erat ἰσοδύναμος τῇ Ἰταλικῇ, non autem ἰσάριθμος καὶ ἰσοστάσιος. Ac proinde Denarius Romanus ad Drachmam Atticam fuit, vt octo ad septẽm. & consequenter si drachma fuit σιταρίων LXIIII, vt re vera fuit, Denarius fuerit tempore Augusti, & Tiberii σιταρίων LXXIII, & plusculo amplius. Sed mirum est, ne huius quidem ponderis talem reperiri. Nam quod Agricola & docti alii causantur, nummos vetustate rasos & detritos non posse priscum pondus conseruare; nos asserimus, multos, quos vidimus, tractauimus, & ad stateram examinauimus, vix quicquam de figura deperdidisse, imo tam integros fuisse, vt vere asperi, vt Suetonius & Persius loquuntur, dici potuerint. & tamen ad momentaneam libellam appensi, non

multo granula sexaginta, aut Regalem Castilianum, quod est verum pondus drachmæ, excedebant. Nam quæ tanta vis vetustatis efficere potest, vt de nummo pulcherrimo, cui nihil deesse videtur, & quem recenter ex moneta prodire censeas, nouem granula decesse concedamus? Addo, cur ferè omnes sunt eiusdem cum drachma ponderis? Hoc dubium peritis harum rerum discutiendum relinquimus. Certè omnes denarios ab Augusto ad Constantinum, & infra illud tempus, non multum pondere inter se differre videmus. Propterea apud Iurisconsultum legimus cap. XXVI Mandati: Ἔλαβον, καὶ ἔχω εἰς λόγον παρακαταθήκης τὰ περιγεγραμμένα τοῦ ἀργυρίου δηνάρια μύρια. καὶ πάντα ποιήσω, καὶ συμφωνῶ, καὶ ὡμολόγησα, ὡς προγέγραπται. καὶ συνεθέμην χορηγῆσαί σοι τόκον ἑκάστης μνᾶς ἑκάστου μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας μέχρι τῆς ἀποδόσεως παντὸς ἀργυρίου. Obolus est sexta pars drachmæ Atticis, vt denarii in hac syngrapha. Ergo Denarius & Drachma idem tempore Iurisconsulti, sæculo Seueri, Caracallæ, Alexandri Mamææ &c. Sed quis capit illum locum Varronis ex tertio Annali, apud Charisium? *Nummum argenteum flatum primum a Seruio Tullio dicunt. Is quatuor scriptulis maior fuit, quam nũc.* Tam enim falsum primum nummum argenteum a Seruio Tullio Rege flatum, quam scriptulis quatuor maiorem fuisse denario posteriorum seculorum. Ita enim denarius Tullianus valuisset didrachmo & scrupulo vno. Quod profecto numquam fuit. Sed ita Varronem sensisse putamus, vt denarius Tullianus scripulorum quatuor fuerit; & proinde maior quam hodie, quum hodiernus sit tantum scripulorum trium. Varronis enim dictio

dictio morosa est, & aliquando perplexa. Græci melius exposuissent: Τοῦτο τὸ δηνάριον μεῖζον ἦν τοῦ νῦν, τεττάρων ὂν γραμμάτων. Sanè ea fuit Varronis mens. Vetus igitur denarius ad posteriorem eam rationem habuit, quam quatuor ad tria. & certe hoc ita esse, fœdus Antiochicum apud Liuium ostendit. vnde confirmatur quod alibi diximus, vltimis temporibus Reip. & sæculo Augusti fere idem pondus denarii & drachmæ fuisse. Clarius igitur dixisset: *Is quatuor scriptulis quum esset, maior fuit quam nunc.* Cleopatras: Τὸ δηνάριον ἔχει γράμματα δ'. est vetus denarius. De ratione Talenti Attici ad libram Romanam, & drachmæ ad denarium, satis quidem in præsentia dictum a nobis: Sed tamen de Talento tacere non possum, quæ apud solum Heronem reperi; cuius verba nondum edita hæc sunt: Πᾶν Τάλαντον ἰδίας ἔχει μνᾶς ξ'. ἡ δὲ Μνᾶ στατῆρας κε'. ὁ δὲ Στατὴρ δραχμὰς, αἵ εἰσιν ὁλκαὶ, δ'. Ἔχει οὖν τὸ Τάλαντον μνᾶς ξ', στατῆρας δὲ ͵αφ', δραχμὰς δὲ ͵ς. ἡ δὲ Δραχμὴ ὀβολοὺς ἔχει ς'. ὁ δὲ Ὀβολὸς χαλκοῦς η'. ἔχει οὖν ἡ δραχμὴ χαλκοῦς μη'. Hæc omnibus nota. Reliqua vulgo incognita. Τὸ Ἀττικὸν Τάλαντον ἰσοστάσιον μὲν τῷ Πτολεμαϊκῷ καὶ Ἀντιοχικῷ, καὶ ἰσάριθμον ἐν πᾶσι: *Tot nummi impenduntur, & imputantur Talentis Ptolemaïco, & Antiochico, quot Attico.* Nimirum tot minæ & tot drachmæ loci. δυνάμει δὲ τοῦ μὲν Πτολεμαϊκοῦ κατὰ τὸ νόμισμα τετραπλάσιον (τριπλάσιον omnino legendum) ἐπίτριτον δὲ τοῦ Ἀντιοχικοῦ, τῷ δὲ Τυρίῳ ἴσον: *valore autem iuxta taxationem nummariam ad Ptolemaïcum triplum est, ad Antiochicum autem sesquitertium, Tyrio verò æquale.* Ergo τὸ Ἀττικὸν τῷ Τυρίῳ ἰσοστάσιον, ἰσάριθμον, ἰσοδύναμον fuit. hoc est drachmam Tyriam

eandem

eandem prorsus cum Attica pondere, & valore fuisse: Ptolemaïcam autem ad Atticam, vt duo ad sex; Antiochicam, vt tria ad quatuor, fuisse, vt ex sequentibus constat: Ἀναλόγως δὲ τῇ περὶ τὸ τάλαντον εἰρημένῃ διαφορᾷ καὶ τἄλλα παραληφθήσεται. Μνᾶ τε γὰρ μνᾶς, καὶ στατὴρ στατῆρος, καὶ δραχμή τε δραχμῆς ταῦτα διοίσει, ὅσην αἱρεῖ ἐπὶ τοῦτο, διαφοράν. Differt Talentum a Talento, drachma a drachmâ pro portione valoris. Sequitur: Οἶδα δὲ καὶ ξυλικὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ τάλαντον ἕτερον, ὃ μνᾶς μὲν ἰδίας ἔχει ξ΄. ἑξαπλάσιον δὲ σχεδὸν τοῦ τοῦ νομίσματος ἀριθμῷ. τό, τε ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ξυλικὸν τοῦ πέμπτῳ διαφέρει πρὸς τὸ προειρημένον ἐπιχώριον περιττόν. Τὸ δὲ παρ᾽ Ὁμήρῳ τάλαντον ἴσον ἐδύνατο τῷ μετὰ ταῦτα Δαρεικῷ. ἄρα γοῦν τὸ χρυσοῦν τάλαντον Ἀττικὰς δραχμὰς δύο, γράμματα ϛ΄, * τετάρτας δηλαδὴ τεσσάρεις. *Talentum* ξυλικὸν *Antiochense, minarum propriarum* LX, *sextuplum autem nummorum numero*. Quia Atticum Talentum est sesquitertium ad Antiochense, ideo quantarum 6000 drachmarum est Atticum, tantarum 4500 erit Antiochense. cuius sextuplum sunt drachmæ 27000. Tot drachmarum erat lignarium Talentum Antiochense; ita dictum, vt apud eundem Heronem ξυλικαὶ μετρήσεις. Bis autem apud Heronem hæc duo inter se opponuntur: τάλαντον ἐν νομίσματι, τάλαντον ξυλικόν: *Talentum nummarium*, & *Talentũ lignarium*. Sed hallucinatio est apud Heronem: Τὸ δὲ ξυλικὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ τάλαντόν ἐστι λιτρῶν τοε΄: *Talentũ lignarium Antiochense est librarum* CCCLXXV. Paulo ante dixerat libram esse drachmarum 96. quæ in CCCLXXV libras ductæ dabunt drachmarum triginta sex millia. Quod nihil aliud est quam sextuplum Attici Talenti. Atqui ξυλικὸν Τάλαντον

λαντον ἐν Ἀντιοχείᾳ superius dixerat sextuplum Talenti Antiochensis nummarii. Manifesta hallucinatio. Talentum autem Atticum ad Ptolemaïcum, siue Alexandrinum, triplam rationem habere omnino necesse est: quia, vt videbimus postea, Æginetica mina ad Ptolemaïcam est quintupla. Sed eadem Æginetica ad Atticam erat, vt x ad vi. Quantorum igitur obolorum sex erat Attica, tantorum decem erat Aeginetica. Sed quantorum x est Aeginetica, tantorum duum est Ptolemaïca. Ergo Attica erat tripla Ptolemaïcæ. Quare supra τριπλάσιον, non τετραπλάσιον legendum est, vt monuimus. Quod clarius ex Plauto patet in Truculento, vbi viginti Minæ vocantur Talentum Philippicum argenti magnum. Ita enim rusticus secum loquitur:

Minas viginti mihi dat. accipio lubens;
Condo in crumenam. —

Deinde in fine fabulæ:

Hem tibi talentum argenti. Philippicum est. tene tibi.

Si viginti minæ sunt Talentum Philippicum, & sexaginta Atticum, Atticum Talentum Philippici triplum fuit. Est ergo Philippicum idem cum Ptolemaïco. Et vere Macedonicum dici potest, quod commune regibus Macedoniæ, & Alexandri successoribus. Porrò Cleopatras scribit drachmam Aegyptiacam esse sextam partem Atticæ. quod si Atticus nummus triplus est ad Ptolemaïcum, sextuplus ad Aegyptiacum; ergo non idem sunt Talentum Ptolemaïcum, & Talentum Aegyptiacum. Cleopatras: Δραχμὴ δὲ καὶ ἄλλη ὁμωνύμως καλεῖται Αἰγυπτιακὴ, ἥτις ἕκτον μέρος ἐστὶ τῆς Ἀττικῆς δραχμῆς,

χμῆς, ἄγουσα ὀβολὸν α΄. Rurſus Alexandrinum ξυλικὸν ad Alexandrinum ἐπιχώειον habet rationem ſeſquiquintam. Et quia τὸ ἐπιχώειον eſt 4500 drachmarum Atticarum, ideo τὸ ξυλικὸν erit 5400. De Talenro Homeri eum nugari, ſuperius declaratum eſt. Subjicit: Οὐ λανθάνει δέ με καὶ τῆς δραχμῶν ἐστὶ πλείους διαφοράς. Τήν τε γὰρ Αἰγιναίαν, καὶ τὴν Ῥοδίαν μνᾶν τῆς Πτολεμαϊκῆς ἐστὶ πενταπλάσιον. Hoc iam expoſitum eſt. ἑξαπλασίαν δὲ τὴν νησιωτικὴν οὕτω προσαγορευομένην. Inſularis drachma eſt ſextupla ad Ptolemaïcam. Sed Ptolemaica eſt obolorum Atticorum duum. Ergo Inſulana erat duodecim obolorum, quot ſcilicet Achaïca, quæ & παχεῖα dicebatur. Sequitur: Τῇ ἐν Ἀττικῇ (μνᾷ) πρὸς τὴν Ἰταλικὴν καὶ νόμισμα χρηστέον. ἰσοδύναμος γάρ ἐστι, καὶ ἰσοστάσιος τῇ Ἰταλικῇ μνᾷ. στατήρων γάρ ἐστι κέ. ἡ δὲ Ἰταλικὴ λίτρα στατήρων κδ΄. αἱ δὲ λοιπαὶ μναῖ διάφοροι. Hactenus autem ἰσοδύναμον καὶ ἰσοστάσιον τὴν Ἀττικὴν μνᾶν τῇ Ἰταλικῇ λίτρᾳ dicit, nimirum neglectis quatuor illis drachmis excurrentibus, quibus Attica Mina Italicam libram ſuperat. Supereſt Ciſtophorus nummus Aſiaticus, cuius Cicero meminit non ſemel in Epiſtolis ad Atticum;& alicubi petit, vt de permutatione ciſtophori ad denarium agatur. Ciſtophori autem ratio ad denarium quæ fuerit, ſolus Feſtus nos docuit, qui ſcribit Euboïcum talentum ſeptem millium & quingentorum Ciſtophororum fuiſſe, denarium autem quater millium. Erat igitur ratio Denarii ad Ciſtophorum vt xv, ad viii. Quum igitur ratio ad Ciſtophorum conficienda erit, ſummam denariorum ductam in xv partire per viii. & contra ſummam Ciſtophororum ductam in viii in xv diſtribue, ſi ratio ad denarium

conficienda

cōnficienda eſt. Talentum autem Ægineticum ad Atticum fuiſſe, vt x ad vi, antea monuimus ex drachmæ proportione alterius ad alteram. vnde μυρίας δραχμὰς Gellius Talentum vocauit. Gellius: *Ad Laidem Demoſthenes clanculum adit, & vt ſibi ſui copiam faceret, petit. At Lais μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον popoſcit.* Meminiſse debemus hoc geſtum fuiſse Corinthi. Corinthiacus autem obolus idem erat cum Aeginetico, vt alibi oſtendimus, quum de Siculo nummo & Talento verba faceremus. proinde & obolus & drachma, & Talentum Corinthiorum ad Atticum νόμισμα eandem rationem habuit, quam Aegineticus nummus. hoc eſt vt decem millia drachmarum ad ſex millia, Talentum Atticum. Quod vero Feſtus ſcribit Talentum Euboïcum fuiſse quater millium denarium, non conuenit illi cum Herodoto. Herodotus enim ait Babylonium Talentum eſſe minarum Euboicarum LXX. Atqui totidem Atticarum minarū erat Babylonium. Euboïcæ LXX minæ, & Atticæ totidem, ſunt æquales eidem talento Babylonio. Ergo ſunt inuicem æquales. Nos vero ſcimus Feſtum alibi denarios pro drachmis vſurpare. Quare verum non eſt IIII M. denar. Talentum Euboicum fuiſse: aut eſſe errorem Feſti, aut mendum librarii. Verba Herodoti ex lib. III. 126. Τὸ δὲ Βαβυλώνιον τάλαντον δύναται Εὐβοΐδας ἑβδομήκοντα μνέας. Pollux de Talento: Τὸ μὲν Ἀττικὸν ἑξήκοντα δραχμὰς εἶχε· τὸ δὲ Βαβυλώνιον ἑβδομήκοντα. Hoc modo drachma Attica ad Ciſtophorum fuerit, vt LXXV ad LX, vt v ad IIII. quod veriſſimum putamus. Quod ſi mendum non fuerit in Feſto, quatuor millia denarium exæquabuntur ſex millibus drachma-

drachmarum. Hoc modo denarii ratio ad drachmam esset sesqualtera. quod videtur fuisse illis vetustissimis temporibus. Sed ὁλοχερῶς dicta sunto à Festo. Tetradrachmum Atticum erat æquale quinque Cistophoris. Sane interpres Nicandri dixit τὸ δηνάριον ἔχειν δραχμὴν μίαν ἡμίσειαν. Tales denarios se habuisse penes se narrat Antonius Piso Lotaringus medicus. De Denario verò ita Hero: Διαιρεῖται δὲ ἐκ περιουσίας καὶ τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίους εἰς μέρη ασνβ. ἔχει γὰρ μέρη ιβ΄. νούμμους δ΄. ἀσσάρια ις΄. ὁ δὲ νοῦμμος οὐγκίας ἔχει τῷ σταθμῷ. Τὸ ἀσσάριον διαιρεῖται εἰς τε ″, καὶ γ″. καὶ δ″ καὶ ς″. καὶ η″. καὶ θ″, καὶ ι″. καὶ ια″. καὶ ιβ″, καὶ ις″. καὶ ιη″ καὶ κδ″. καὶ λς″. καὶ μ″. καὶ ν″. καὶ τάδε μέρη ταῦτα ἰδίας ὀνομασίας ἔχει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις λογισταῖς. *Diuiditur præterea etiam Denarium secundum Romanos in partes* MCCLII. *Habet enim partes* XII, *nummos (sestertios)* IIII. *Assaria* XVI. *Sestertius autem vnciæ (priuo) pondere. Assarium diuiditur in semissem, trientem, quadrantem, sextantem, bessem, dodrantem, dextantem, deuncem, & partem duodecimam, sextamdecimam, decimamoctauam, vigesimam quartam, trigesimamsextam, quadragesimã, quinquagesimam. Atque hæ partes appellationes suas habent apud Romanos Ratiocinatores.* Quas partes vocet MCCLII, hoc vero quærendum est. Denarium & Sestertium diuidi in XII vncias apud Romanos ratiocinatores, hoc quidem verum est, quando ratio denarii & sestertii ad assem & libram exigebatur: vt contra, rationem Sestertii ad Denarium confici docuit Mætianus. Apud Plutarchum in Camillo ita excusum est: Ἀσσάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον καὶ τὸ δεκάχαλκον ὅπως ἐκαλεῖτο ΔΗΝΑΡΙΟΝ.

Legendum:

Legendum: *Ἀσσαρίων δὲ ῑ ἦν τὸ ἀργύρειον.* Hactenus de Denario argenteo. Aureus vero Denarius LXII annis post cudi cœptus, quam argenteus, vt ait Plinius, hoc est anno A. V. C. IↃ. XLVI, M. Liuio Salinatore iterum, C. Claudio Nerone coss. Sed quis expediet nodos illius loci Pliniani a tot doctis viris toties tamque frustra vexati? Verba Plinii: *Aureus nummus post annum* LXII *percussus est, quam argenteus, ita vt scrupulum valeret sestertiis vicenis: quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios* DCCCC. *post hæc placuit* XL M. *signari ex auri libris; paulatimque Principes imminuere pondus. Minutissime vero ad* XLV. Non est locus inquinatior in toto Plinio: quem doctissimi viri dum sanare conantur, peius affecerunt, quam librarii ipsi. Primum frustra suspectam habent lectionem illam, *sestertiis vicenis.* Non enim aduerterunt scrupulum, quod valeret sestertiis vicenis, non esse scrupulum auri simpliciter, sed nummi aurei, qui pondere quidem duplus est ad argenteum, valore autem vigecuplus. Nam denarius ab initio fuit scrupulorum quatuor, teste Varrone. proinde sestertius erat vnius scrupuli. & quarta pars aurei, quæ est analoga vni scrupulo denarii, aut sestertio, erat duum scrupulorum, quia aureus erat duplus pondere ad denarium, vt diximus. Quare nihil mutandum. Si enim totum ad totum vigecuplum, & pars quoque ad partem erit vigecupla per XV, & XVII quinti Elementi Euclidis. Illa vero quæ sequuntur, male a librariis affecta sunt: *quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios* IↃ CCCC. Quod enim hoc portenti est, libram auri habere IↃ CCCC tantum se-

Plinij locus lib 33. cap 3.

 stertios?

stertios? Distribuamus enim in xx sestertios. Fient xlv scrupula in libram. Atqui libra habet scripula cclxxxviii. Quid ergo hic dicemus? Si scripulum nummi aurei xx sestertiis valet, hoc est denariis quinque, ii denarii in cclxxxviii ducti producent denarios argenteos M cccc xl, non autem sestertios ꟾↄ cccc, vt habent editi & scripti codices. Manifestum est igitur, neque *sestertios*, sed *denarios*, hic legendum; neque ꟾↄ cccc, sed cꟾↄ cccc, vno c amplius. Nam appendix summulæ relicta est à Plinio, vt solet in numerosis summis, in quibus excurrens summa supra centenarios omittitur: quod a nobis superius abunde declaratum, & exemplis illustratum est. Igitur anno A. V. C. ꟾↄ xlvi, libra argenti erat denariorum cxliiii, ratione denariorum æui Pliniani. Et quia aurum decuplum est ad argentum, libra auri erat cꟾↄ ccccxl denariorum æui Pliniani. Sed priori sæculo Libra Romana erat æqualis xcvi drachmis Atticis, vt supra ostendimus; quæ drachmæ erant æquales denariis æui Pliniani, quod ex ipsis nummis hodie constat. Ergo libra prioris sæculi ad libram sæculi Pliniani, erat vt cxliiii, ad xcvi, hoc est, vt iii ad ii. Habebat igitur libra vetus ad libram Plinianam rationem sesqualteram; & proinde denarius vetus ad denarium Plinianum eandem rationem habebat, per easdem xv; xvii Elementi v Euclidis. Scripsit igitur Plinius: *Aureus nummus post annum* lxii *percussus est, quam argenteus, ita vt scrupulus valeret sestertiis vicenis: quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant sestertii* -x- cꟾↄ cccc. id est denarios mille quadringentos. sed subintelligenda & supplenda summula excurrens, xl denarii.

narii. Quæ vero sequuntur, quo plus obscuritatis habent, eo minus ab illis summis viris intellecta. Ipsi putant Plinium loqui de numero aureorum, qui in libram cudebantur. In quo fugit eos ratio. Nam quum ipsi non ignorent Plinium loqui de imminutione libræ, quæ paulatim facta est; quo modo congruent ea, quæ dicit Plinius, primum XL, deinde XLV signari solere? Nam si primum aurei, vt ipsi interpretantur, XL signati, deinde XLV, sane posterior libra aureorum XLV, maior fuit priore, aureorum XL. Nugæ sunt hæ. Non enim de aureis hîc sermo est, neque de numero aureorum in libram cudendorum: sed de denariis, iisque non cudendis in libram, vt ipsi putant, sed deminuẽdis de libra. Quo enim maior numerus deminuetur, eo minor erit libra, vt & puero paret. Idque ita semper interpretati sumus. Sed beauit nos Fredenandus Pincianus vir apprime doctus, & diligens, qui veterem lectionem retulit, quæ interpretationi nostræ egregie fauet. Vbi enim in editis est; *Post hac placuit* XL. M. *signari*, in scriptis codicibus erat; *Post hæc placuit* ·X· XL. M. *signari.* quæ verissima est lectio. τὸ -X- est *denarius*, vt & pueri sciunt. τὸ M. est *Minus.* vt patet ex inscriptionibus: V. A. P. M. XXIIII. *Vixit annos plus minus* XXIIII. Verba Plinii luce clariora sunt: *Post hæc placuit denarios* XL *minus signari ex auri libris. Paulatimque Principes imminuere pondus. Minutissima vero ad* XLV *minus.* Minutissimæ, id est libræ. *Denarios signari minus quadraginta,* Græci dicerent: Δηνάρια χαράττεσθαι παρὰ τετταράκοντα. Eodem modo Manilius:

Tarquinioque minus Reges.——

καὶ οἱ βασιλεῖς παρ' ἕνα Ταρκύνιον. Quare est vetus locutio. Statius:

Æqua ferunt, terrore minus. —

id est, excepto terrore. Ex MCCCC XL primum imminuti sunt denarii XL: & libra facta est denariorum CIↃ CCCC. Tempore Plinii à Vespasiano in libras signati sunt CIↃ CCCXCV. quod est quinque denariis argenteis minus, quam in priore specie. Hi ergo sunt denarii argentei Vespasiani, deducendi de prisca libra, non autem, vt docti interpretabantur, denarii aurei cudendi in libram: quo nomine oporteret priorem libram minorem esse posteriore; quum tamen contra sentiat, atque adeo doceat Plinius, de priore gradatim aliquid semper processu temporis detractum fuisse. Nemo non hunc locum vexauit; & nemo est eorum, qui tentarunt, qui se restituisse sibi & aliis non persuaserit. Aureus autem nummus priscis Romanis dictus fuit denarius auri, vel aureus; posterioribus Imperatoribus, Solidus: Macedonibus Philippicus, Atticis Στατὴρ, Asianis Δαρεικός. Harpocration: Λέγουσι δέ τινες δύνασθαι τὸν Δαρεικὸν ἀργυρᾶς δραχμὰς ὀκτώ. Harpocratio scripserat κ'. *viginti*. Posteriores librarii deprauarunt in η', quod est ὀκτώ· vt millies contigisse animaduertimus. Sequentia cōfirmant: ὡς τοὺς πέντε Δαρεικοὺς δύνασθαι μνᾶν ἀργυρίου. Omnes isti nummi Græce χρυσοῖ dicuntur. Omnis aureus primum dicebatur Δαρεικὸς, tametsi percussus in Græcia. Postea Philippicus dictus, à Philippo patre Alexandri Magni, & eodem modo omnis quoque aureus Philippicus dictus. vt Philippicus Antoninianus. & *Philippicos vultus nostri* dixit Alexander Mamææ. Sed Solidi appellatio propria est

nummi

nummi aurei Constantinopolitani, quæ nupera ac nouitia, & vix tandem post tempora Diocletiani recepta mihi videretur, nisi eius mentio extaret in Epigrammatis Vrbis: ET. OB. DEDIC. EIVSDEM. STATVAE. PATRONIS. ET. Q. Q. P. P. SOLID. DIVISIT. Græcis νόμισμα, vt & Horatio *Regale nomisma*. Digestis l. Quintus Mutius. de auro & arg. leg. §. cui legatum est. *Si autem aurum, vel argentum signatum legatum est, id paterfamilias videtur testamento legasse, quod eius aliqua forma est expressum; veluti quæ Philippi sunt, itemque numismata, & similia.* lege: *veluti quæ Philippi sunt nomismata.* Recentiore appellatione χρύσινος. Glossæ: Χρύσινος, *Solidus*. Theodoritus lib. II. cap. XVI. circa finem: Ο βασιλεὺς ἀπέστειλε πεντακοσίους ὁλοκοτίνους αὐτῷ εἰς δαπάνας. Vetus lectio: χρυσίνους. Nam mirum verbum est ὁλοκοτίνους. Solidum, νόμισμα. *Sestertios auri* etiam vocat Gregorius Turonensis, de Mirac. I. XIX. *Existimantes enim inimici, auri ibidem sestertios aggregatos, effracta claue, omne rimantur intente.* Eodem modo locutus est Marcellinus Comes Indict. XIII, Iustiniano, & Valerio Coss. *Famosissimum hunc Consulatum Iustinianus præ Consulibus, omnium Orientalium vtilitatibus edidit. Nam* CCLXXXVIII *solidorum* HS *libera Consulum profecta diligentia in populum, inque spectacula, siue spectaculorum machinam distributa sunt.* In Iure Orientali 143. νομισμάτων λίτρας τρεῖς: *Solidorum libras tres.* Nam pro solidis doctissimus Lewnclauius sui oblitus *aspros* vertit. hi sunt solidi CCXVI, vt patet ex lege Vnica Cod. Theod. de obl. vot. item l. XIII, de suscept. præpos. Rursus Solidus dicitur etiam *Sextula*, quod

ſit ſexta pars vnciæ, teſte Iſidoro: quo nomine Græci vocarunt ἑξάγιον. Zonaras: Μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἑξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος ἐκείνοις τὸ τετάρτηρον ἐπινόησε. Græcis aliter compendii cauſsâ ſcribitur ςάγιον, quum tamen pronunciandum ſit ἑξάγιον. Nam ἐπίσημον ς' eſt nota τοῦ ἐξ ἀριθμοῦ. Errant igitur, qui pronunciant *Stagion*. In Edicto Turci Aproniani Præfecti Vrbis aliud eſt, SVB. EXAGIO. PECORA. VENDERE. Ibi enim *Exagium* eſt ςάθμησις, penſatio ad libram. Gloſſæ: Ε'ξάγιον, *penſatio*. Ε'ξαγιάζω, *examino, perpendo. Exagios*, ἄρτου ἐπιτιμή. Apponebatur enim pani nota ponderis. quia & panis quoque penſum ab ædilibus exigitur. Pro hoc verbo, in veteribus pondúſculis, quæ Romæ reperiuntur, legitur O. O. EXADSA. vltimis illis temporibus Latinitate pura cum pronunciatione exoleſcente. Græci hodierni ſcriberent ἑξάτζα. Sed hoc noſtrum ἑξάγιον prima aſpera pronunciandum, quod ſit, vt dixi, ſexta pars Solidi. Quemadmodum Sextula non ſolum Vnciæ, ſed Solidi eſt pars: ita ἑξάγιον non ſolum Solidi, ſed & Vnciæ eſt ſexta pars. Appendici Nicandri libra eſt vnciarum XVI, vncia drachmarum IX, quæ ibi ἐννάεια vocantur. Nouem drachmarum ſextam partem ἑξάγιον vocat. Sed non prius Aureus cœpit vocari *Sextula*, quam aurei percuſſi ſunt quaternum ſcrupulorum, quantorum vncia eſt viginti quatuor. quod fuit pondus primi Denarii cuſi ſub Tullio Rege, teſte Varrone. Itaque cum in vnciam antea quaterni aurei percuterentur, poſtea ſeni percuſſi ſunt, & vocati Sextulæ ob eam cauſſam. Et Δαρεικὸς, ſiue Στατὴρ ad Solidum eandem rationem habuit, quam tria ad duo. hoc eſt, Δαρεικὸς eſt ἡμιόλιος.

μὸς ad Solidum. Huius Solidi diuisio κατ' ἀργυρισμὸν hæc est. Κεράτιον, μιλιαρήσιον, φόλλις, Tremissis, μῆκον, κανκίον, τετραγώνιον. Hoc est, diuisio Solidi per species argenteas est primum per *Siliquas*, quæ Κεράτια dicuntur. *Cornus* vocat Isidorus, quia Siliqua dicitur theca siue vaginula, quibus fructus* κρατείας siue Cornus arboris continentur. Arabes vocant *Al Charub*: Hispani ab Arabibus *Algarouas*. Est autem vigesima quarta pars Solidi, drachmæ argenteæ valore. Isidorus: *Siliqua, vigesimaquarta pars solidi est, ab arboris semine vocabulum tenens.* Μιλιαρήσιον Δικέρατον enim est æquale Miliarensi. Μιλιαρήσιον autem duodecima pars Solidi, δίδραχμον. Apud Suidam: Μιλιαρήσιον, τὸ τοῦ νομίσματος δέκατον. Manifestum mendum. Reponendum δωδέκατον. Miliarensium autem apud nullum veterem Latinum legere memini, præterquam in Notitia Imperii Romani, vbi in Comitiua largitionum mentio fit SCRINII A MILIARENSIBVS. Cedrenus, quum μιλιαρήσιον exigi solitum scripsisset, postea δικέρατον vocat. Ergo Miliarensis nummus fuit duplus Siliquæ, quæ est vigesima quarta pars Solidi. Proinde Miliarensis est duodecima. A militia hoc nomen deducit Epiphanius, ac post eum Cedrenus. Τὸ δὲ ἄργυρον τοῦτο ἐστιν, ὃ Ῥωμαῖοι [id est, Constantinopolitani] Μιλιαρήσιον καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα. Hoc verum erat, siquidem Militarensis, non Miliarensis vocatus fuisset. Valde alludit ad hoc nomen appellatio nummi aurei Lusitanici, qui in Gallia dicitur *Millereis*. sed longe diuersa originatio. Nam corrupte dictum, quum verum nomen fuerit *Muley rais*, ab Arabe Rege, quisquis is fuit, qui primus eiusdem ponderis & valoris nomisma

misma in illis partibus Hispaniæ percussit. Quum autem ἄργυρον vocet Epiphanius, ἄργυρον vero δίδραχμον constet fuisse, qualia fuerunt illa triginta, quæ Iudæ proditori data fuerunt, (vel potius tetradrachma: Nam Eusebius lib. IIII. ἀποδείξ. στατῆρας interpretatur bene, meo iudicio:) non male iudicauimus Miliarensem esse δίδραχμον, duodecimam nimirum partem Solidi, qui drachmarum XXIIII erat. Huius duplum fuit Follis, sexta pars Solidi, quam Sextulã vocare possumus. duobus enim ἀργύροις, id est, Tetradrachmo, valebat. Epiphanius: φόλεις, ὃ τὸ ταλαίτιον καλεῖται. διπλοῦν δέ ἐστιν, ὑπὸ δύο ἀργύροιν συγκείμενον. οἱ γίνονται σύ' δηνάρια. καὶ φόλλης δύο λεπτοὶ κατὰ τὸ δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ ἀργυρισμόν. Primo mendum est, ταλάντιον pro βαλάντιον. Follis enim Latine, est quod Græcis βαλάντιον. Iuuenalis:

Si reddat veterem cum tota ærugine follem.

Idem: ——*& tenso folle reuerti.*

Sacculus Martiali & Catullo. Isidorus : *Folles dicuntur à sacculo, quo conduntur: a continente, id quod continetur, appellatum.* Deinde vitiose σύ: quum Epiphanius scripserit σπή. Ita reponendum: ΦΟΛΛΙC, ὃ βαλάντιον καλεῖται. διπλοῦν δέ ἐστιν. τὸ ὑπὸ δυοῖν ἀργύροιν συγκείμενον, οἳ γίνονται σπή δηνάρια· καὶ ΦΟΛΛΙC δύο λεπτοὶ κατὰ τὸ δηναρισμόν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ ἀργυρισμόν. Duplicem facit. Communis appellatio vtrique τοῦ βαλαντίου, id est Follis. alterum duorum didrachmorum, alterum duorum minutorum. De quibus postea. De hoc igitur Folle, siue didrachmo accipienda est vetus Inscriptio Buccini Lucaniæ: SI. QVIS. AVTEM. INFRINGERE. VEL. APERIRE. VOLET. INFERET. POENE. NOMINE. REIP. FOLLES. MILLE. Eiusmodi mille Folles intelligimus C. Th.

l. 1. si quis pec. consl. item in Fastis Siculis: Viuiano & Basilio coss. Επὶ τούτων τῶν ὑπάτων λεῖψις γέγονε τοῦ ἄρτου, ὥστε πραθῆναι τὸν ἕνα ἄρτον φόλλεων τριῶν. Τεσσαρακέρατιν cum Zonara vocare possumus.

Tremissis est tertia pars Solidi, duplum Follis argentei, semuncia argenti, tetradrachmon. Isidorus de Solido: *Hunc, vt diximus, vulgus aureum* [*Solidum*] *vocat.. cuius tertiam partem ideo dixerunt Tremissem, eo quod Solidum faciat ter missus.* Meminit & Lampridius in Alexandro. Tremisses pro sacro balsamo vnctionis solitos exigi prohibet Synodus quarta Carthaginiensis. Legum Ripuar. XXIII, Tremissis quatuor denarii. quia Solidus XII denariorum. Μήλων, καυκίων, τετραγωνίων mentio tantum extat in Nouella Iustiniani CV. § II. Τοῦτον (ἄργυρον) ἐφίεμεν αὐτοῖς ῥίπτειν ἐντε τοῖς καλουμένοις Μιλιαρησίοις, καὶ Μήλοις, καὶ Καυκίοις, καὶ Τετραγωνίοις, καὶ τοῖς τοιούτοις· ὅσον ἂν μικρότερον ᾖ τὸ ῥιπτόμενον, τοσούτῳ πλεῖους οἱ λαμβάνοντες. Videmus hic quæ præcedunt, pluris valere, quam sequentia: Miliarensem, quam Μῆλον: & illud, quam Καύκιον, &c. Sed quotæ partes Solidi fuerint, non indicauit Imperator. Μῆλον autem putamus dictum ab incusa Mali figura. Καυκίον absque dubio, quod cauum esset, instar acetabuli, aut eius poculi quod acetabulum referebat, Suidas: Καυκίον παρ' ἡμῖν, κύλιξ ἡ παρὰ σοφοῖς. In quarto Anthologiæ, cap. Εἰς λίθους legimus: Οἰνομάχει ἐς Ἔρωτα γεγλυμμένον ἐν καυκίῳ. Deinde:

Ἐν κυάθῳ τὸν Ἔρωτα τίνος χάριν; —

Ergo καυκίον est cyathus, sed sessilis instar obbæ, aut pateræ. In Annalibus Glycæ: *Rursus e cauco bibisti, rursus mentem amisisti.* de Phoca sermo est. Apud Hieronymum, & in Vitis Imperatorum *Ca-*

neum perperã editũ; vbi *Caucum* legendũ. Eiuſmodi nũmulos argenteos cauos non paucos vidimus, nõ ſæculi illius Iuſtinianici, ſed vetuſtiſſimos, ante lucẽ Chriſtianiſmi. Τετραγώνια proculdubio à figura, quod nõ rotũda, vt reliqui nũmi, ſed quadrata eſſent. cuiuſmodi argenteos nummulos Turcicos videre eſt, quos Græci ἄσπρους vocant, id eſt albos. Gloſſæ: *Aſprum*, ἐκλαμπον. Ἀσπρότης, *candor*. Turci *Akſei*, id eſt album. Τετραγώνων στατήρων mentio apud Suidam. Στατὴρ, inquit, τετράγωνον. Sed ſuſpectum, vt apud Heſychium, vnde Suidas exſcripſit. Στατὴρ, τετράγραμμος. Nam ibi legendũ τετράδραχμον.

Secunda diuiſio Solidi κατὰ δηναρισμὸν, in æreolos, aut ſtipem, quæ χαλκία Græci vocant. Nam vltimis temporibus Denarii pro exigua ſtipe vſurpati ſunt, vt hodie in Gallia. Imperator Aurelianus: *Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum*. Eos Vopiſcus in Bonoſo *ſeſtertios æris* vocat. Macrobius de nummo ratito loquens, qui erat æreus: *Ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleæ luſu, quum pueri denarios in ſublime iactantes* CAPITA, *aut* NAVIA *luſu teſte vetuſtatis exclamant*. In Euangelio ſecundum Marcum, XII: Λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. Hilarius: *Duos denarios viduæ inopis Deo acceptiores*. Lucæ X: Ἐκβαλὼν δύο δηνάρια. Ambroſius: *duo æra*. Vetuſtiſſimus eſt igitur Denarii vſus ἀντὶ τοῦ χαλκισμοῦ, vel ſtipe. Neque exemplo caret. Nam & Arabes درهم pro drachma accipiunt, & pro æreolo. & quum iiſdem literis ſcribatur, quum pro argenteo accipiunt, vocant *Darbam*; quum pro nummulo æreo, *Dirhem*. Quia vero arbitrarius fuit modus ſtipis, &

denarii;

denarii; propterea & arbitrarius est modus τοῦ δηναρισμοῦ in Solido diuidendo. Nam apud Epiphanium τετράδραχμον siue Follis argenteus valet denariis CCLXXXVIII. Ergo drachma, siue κεράτιον, pars vicesima quarta Solidi, erat denariorum LXXII, & Solidus MDCCXXVIII. Cassiodorus lib. I. Epist. x. *Sex millia denariorum Solidum esse voluerunt.* Ergo κεράτιον erat denariorum CCL, qui Epiphanio LXXII tantum erant. Apud Hesychium Solidus vocatur Τάλαντον, idque ab eo diuiditur in λεπτὰ, νούμμους, κοδράντας, ἀσσάρια. Sed non paucæ ἀντιλογίαι sunt in eo, & non constat sibi. Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ τὸ τέταρτον τῆς φόλλεως, ἢ λεπτὸν. Τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν Ταλάντου, ὅ ἐστι νόμισμα ἕν, ἢ κόκκοι τρεῖς. Ait Quadrantem ab aliis pro toto Folle, (idem repetit Suidas,) aliis pro quarta parte Follis accipi: alias esse λεπτὸν, quod sit sexmillesima pars Ταλάντου, id est, Solidi. Ergo Κοδράντης, Λεπτὸν, Νόμισμα, est denarius Cassiodori. [Τὸ δὲ τάλαντον λίβραι ἑκατὸν εἴκοσι πέντε.] Hæc non pertinent ad hunc locum, vt & cæco paret: sed ex alio loco huc infarcta sunt. Hic enim περὶ ταλάντου νομίσματος, non de ponderali Talento, sermo est. ὁ δὲ Κοδράντας νομίσματα τρία. Hæc νομίσματα alibi νουμμία vocat. Itaque Solidus diuiditur in Quadrantes sexies mille, νουμμία decies octies mille. ὁ δὲ ἕκαστος κοδράντης τὸ τέταρτον τῆς φόλλεως. Intelligit de Folle ærario. Infra: Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ λεπτὰ δύο. Deest, τῆς φόλλεως. τὸ πᾶν τῆς φόλλεως, vt supra. id est, sumitur pro tota stipe, quæ Follem constituit. Hic vero melius κοδράντην ait esse λεπτὰ δύο, ex Euangelista: quod alibi repetit. Ergo Τάλαντον, siue Solidus diuiditur εἰς κοδράντας ς VI M. εἰς λεπτὰ ιβ XII M. εἰς νουμμία ιη. XVIII M.

τὸ

τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντων. Lege: ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου. Contradicit sibi. imò δωδεκακισχιλιοστὸν ταλάντου. Alibi: Ἀσσάριον, καὶ λεπτὸν ἕν εἰσιν, ἤγουν ἑξακισχιλίων τετρακοσίων ταλάντων. Et hic nemo non videt legendum esse, ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου. quod est consentaneum iis quæ proxime dixit, λεπτὸν esse sexmillesimã partem Solidi. ὅ ἐστιν ἓν ἥμισυ λεπτοῦ. Quomodo λεπτὸν potest esse ἓν ἥμισυ λεπτοῦ? Hæc sunt nugatoria. Illa vero recta; & quibus standum est: Τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντης εἷς, ἤγουν νουμμία τρία. Hæc vltima statuunt Quadrantem, & Assarium sexmillesimam partem Solidi, vt Cassiodoro; Λεπτὸν duodecies millesimam; νουμμίον, siue, vt alibi vocat, κοκκίον, decies octies millesimã. Follem autem æreum Hesychius videtur eundem facere cum Quadrante, quum ait esse λεπτῶν δύο. Atqui λεπτὰ δύο Epiphanio est Φόλλις κατὰ δηναρισμόν. Hos Φολλεράλεις Græcis; Latinis Teruncianos dictos scribit Marcellinus Comes Indict. VI, Iohanne Scytha, & Paulino cos. *Nummis quos Romani Teruncianos, Græci Follærales vocant, Anastasius Princeps suo nomine figuratis, placabilem plebi commutationem distraxit.* Follærales composita voce dixit, quod disiunctim Lampridius Elagabalo: *Centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris.* Inde in Bereschith rabba legitur פולר *folar*, pro specie monetæ. quod nihil aliud est, quam φολλεράλις. Sed alia diuisio Solidi apud Suidam in voce ὀβολός. Ὀβολοὶ δέ εἰσιν οὓς καλοῦμεν Φόλλεις. ὁ δὲ Ἰουστινιανὸς, τῶν ἀργυραμοιβῶν ὑπὲρ ἑνὸς στατῆρος χρυσοῦ προΐεσθαι τοῖς ξυμβάλλουσιν εἰωθότων δέκα καὶ διακοσίους ὀβολοὺς, αὐτὸς ἐπιτεχνώμενος κέρδη οἰκεῖα π καὶ ρ μόνους ὑπὲρ τοῦ στατῆρος διε-

τάξατο δίδοσθαι ὀβολούς. De hoc & ſimili κερματισμῷ, vel potius τεμαχισμῷ accipienda ea quæ in Nouella Theodoſii, quam P.Pithœus noſter publicauit, de Solido præcipiuntur: *Ne vnquam intra ſeptem millia nummorum Solidus diſtrahatur emptus e collectario millibus ducentis.* Nam nummi ibi ſunt denarii ærei,& ſtips minutiſſima. Atque vt diuiſio Solidi Romani arbitraria fuit,ſiue ἐν ἀργυρισμῷ, ſiue ἐν δηναρισμῷ, ita & Solidi ipſius modus vagus fuit,& ambulatorius,præſertim apud barbaras eas nationes,quæ Imperium Romanum in tot lacinias diſcerpſerunt. Eorum enim Solidus fuit verus Solatus aureus Francorum hodiernus, ponderis granorum LXIIII, qui eſt modus drachmæ Atticæ, Regalis Caſtiliani, Iulii Pontificii, & veteris Denarii Francorum. Tit. XXXVIII Ripuar. § XXIII: Solidus vetus eſt denariorum XII. Vnde ἀναλόγως Tit. XXIII Tremiſſis ſunt quatuor denarii. eumque vocant Priſcum Solidum. In Francorum legib. IIII, 106: *Vt omnis ſolutio atque compoſitio quæ in lege Salica continentur, inter Francos per XII denarios Solidus componatur; excepto, vbi contentio contra Saxones & Friſiones exorta fuerit. Ibi volumus, vt XL denariorum quantitatem Solidus habeat, quam vel Saxo, vel Friſio à parte Salici Franci cum eo litigantis ſoluere debet.* In appendice libri de limit. agrorum: *Iuxta Gallos vigeſima pars vnciæ denarius eſt: & duodecim denarii Solidum reddunt: ideoque iuxta numerum denariorum tres vnciæ quinque Solidos complent. Sic & quinque Solidi in tres vncias redeunt. Nam duodecim vnciæ libram XX ſolidos continentem efficiunt. Sed veteres Solidum, qui nunc Aureus dicitur, nuncupabant.*

cupabant. Locus est luculentus. Gregorius Magnus. Postea Solidus ad tres denarios redactus est; ita vt nouus Solidus prisci quadrans factus sit. Fris. Tit. XVI; de homicidio ad partem dominicam pro freda XXX solidi componuntur, qui Solidus tribus denariis constat. Inde Frision. IX, 11. Denarii LX sunt Solidi XX. & eodem 17, quatuor Solidi sunt denarii XII. Et Frision. XIIII, 7, LX Solidi sunt libræ III. Imp. Karolus Magnus Franc. III, 14. XXX solidi libra vna, & dimidia. Ergo viginti Solidi erat Libra vna Francica. Hodie nomen, non potestas νομίσματος mansit in Gallia. Nam Libra Francica sunt viginti solidi in δηναρισμῷ. Sunt enim Solidi, quorum quinque valebant argenteo Castiliano ex edicto Henrici III. & ab vltima antiquitate Franci constituunt suam libram Solidis vicenis. *Libra* etiam hodie, & *Francus* vocatur. Poterant huc addi & Aurei aliarum nationum, vt Seraphii Arabum. Sed alius operis est. Non omittendus tamen nummus ὑπέρπυρον vltimorum temporum Constantinopolitani Imperii. Is fuit aureus, & argenteus pondere drachmæ. Itaque in auro æqualis fuit Solato Francico, in argento drachmæ. De aureo ita legimus in legatione Armeniorum: Ἔτ. ͵ςωϙ΄, ὡς ἐν ὑποθέσει, ἐνταῦθα ὑπέρπυρα βίᾳ μιᾶς ὄντα φύσεως, χρυσοῦ δηλονότι. Georgius Codinus Curopalates libello de Constantinopoli, quæ prius vocauit ὑπερπύρων λίτρας, ea sequenti pagina dicit χρυσίου λίτρας. Sed priore casu quinquaginta libris Hyperpyrorum, id est Scutatis Solatis 3600 domum suam venditam fuisse Antiochus ostiarius querebatur. Imperator misericors iussit auctionem earum fieri, & plus licitanti eas

eas addixit libris auri LXXXV, qui sunt scutati solati VI. M. CXX. Τραπεζίτης οἶκος Ἀντιόχου πρὸς ὀσπαείου καὶ ἀντιόχου, ὃς ἀπετιμήθη εἰς ὑπέρπυρα λίτρας ν΄. Postea: Ἐπράθη εἰς χρυσίου λίτρας π΄. Ergo ὑπέρπυρα & χρυσίον idem. Gulielmus Tyrius lib. XVIII, cap. XXIIII. *Soli domino Regi viginti duo millia Hypperorum (Hyperpyrorum* legendum*) & tria millia Marcarum argenti examinatissimi dicebatur largitus.* Eodem libro, capite XXII, Emanuel Constantinopol. Imp. fratris sui filia Balduino III Regi Ierosolym. in matrimonium tradita, dedit dotis nomine centum millia Hyperpyrorum. Vbi idem error *Hyperororum*. Apud eundem Georgium Codinum Curopalaten in Notitia officiorum Palatinorum: Ἔνι δὲ καὶ τεταγμένον δίδοσθαι παρὰ τοῦ μεγάλου πριμικηρίου, κατὰ κυριακὴν, χάριν δικανικίου, ὑπέρπυρον ἕν. Quemadmodum autem Romæ denarius per .X. drachma autem in Græcia per < denotabatur, ita etiam duo ἰῶτα ὑπέρπυρον designabant. Scholiastes Harmenopuli lib. I. XV. § 3 II ρ΄. hoc est ὑπέρπυρα ρ΄. infra II σ΄. quæ postea exponit διακόσια ὑπέρπυρα. De argenteo puto Vincentium Beluacensem intellexisse, quum scribit quadringenta millia Hyperpyrorum quingentis septuaginta marcis argenti valuisse. Sed ibi error est. Nam totidem Hyperpyra argenti valent marcis argenti V M. DLV, & vncia. Centum autem libras auri signati κεντηνάριον vocabant, id est, χρυσίνους, siue Solidos, VII M. CC. Procopius: Τὴν μὲν εἰρήνην πέρας οὐκ ἔχουσαν δέκα καὶ ἑκατὸν κεντηναρίων ὡμολόγει πρὸς αὐτοὺς θήσεσθαι. Paulo post: Ἑκατὸν δὲ λίτρας τὸ κεντηνάριον ἑκατὸν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ ὠνόμασται. Centenarium igitur erant centum libræ auri signati: cuius creberrima mentio in historicis

ſtoricis Græcis, qui poſt Procopium ſcripſerunt. Iſidorus: *Centenarium numeri nomen eſt, eo quod centum librarum ponderis ſit*. Rectè numeri nomen vocat, vt diſtinguat à ponderali. quod Arabes corrupto nomine *Kintar* vocat. Hiſpani & Aquitani adhuc *Quintal* dicunt. Centenionales, maiorini, & decargyri nummi qui ſint in C.Theodoſ. ſi quis pec. conſl. adhuc quæro. item in Gloſſis: *Binio, δίνυμμα. Biniones, δηνάρια.* videntur eſſe ærei non argentei. Porro adhuc tempore Conſtantini Magni ſepteni ſolidi ſcrupulorum quaternorum in vnciam adpendebantur. Conſtantinus Magnus C.Theodoſ. de pond. & aur. inlat. *Si quis ſolidos adpendere voluerit, auri cocti ſeptem ſolidos quaternorum ſcrupulorum noſtris vultibus figuratos adpendat pro ſingulis vnciis*. Data eſt Iuliano & Paulino Coſs. anno Chriſti cccxxv. Si vncia erat ſeptenum ſolidorum, ſolidus ſcrupulorum quaternorum, Solidus ille ad ſolidos reliquos, qui tantum ternorum ſcrupulorum erant, eam rationem habebat, quam xxviii ad xxiiii; hoc eſt vt ſeptem ad ſex. Nam vncia fuerit xxviii ſcrupulorum, quum tantum deberet eſſe xxiiii. & libra eiuſmodi erit ſcrupulorum cccxxxvi, quum tantum imputandi eſſent ccxxviii. qualem poſteriores Imperatores feriri iuſſerunt. Itaque libra auri Conſtantini eſt ſolidorum lxxxiiii, quot denariorum argenti libra vetus Romana. Poſteriorum autem Imperatorum Solidi lxxii in libram adpendebantur. Valentinianus & Valens Lupicino, & Iouino Coſs. anno Chriſti ccclxvii. l. xiii. C.Theod. de ſuſcept. præp. & arc. *In ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepto*. Arcadius Olybrio,

brio, & Probino coss. anno Christi cccxcv. C. Th. l. vn. de obl. vot. *Quando votis communibus felix annus aperitur, in vna libra auri, solidi septuaginta duo obryziaci Principibus offerendi, deuotionem animo lubenti suscipimus.* Sane si solidi illi duplo pondere drachmarum erant, libra posterior est libra hodierna aurificum. Sin autem scrupulus auri tantum pendebat, quantum scrupulus argenti, libra illa fuerit marca nostra. quod vero propius est. Quia Imperatores ad legitimam & commodam libram gentes reuocant, manifestum est omnium prouinciarum, atque adeo omnium ciuitatum, non eandem fuisse libram: quod passim vsurpari videmus; quandoquidem quot ciuitates, tot pondera & mensuræ. In Actis Marcellini Papæ septuaginta duo testes vocantur libra occidua. occiduam quidem libram intelligo Romanam. quæ distingueretur ab ea, qua vterentur Constantinopolitani, qui dicuntur orientales. Sed obstat, quod hæc acta sunt sub Diocletiano, antequam vllum Imperium Orientis esset. & præterea sub Diocletiano occidua libra illa erat LXXXIIII denariorum, sub Valentiniano, & Arcadio orientalis libra LXXII denarium. Deinde quod subiicitur, partim intelligo, partim ignoro. *quoniam in septuaginta duorum libra occidua in reparationem surgit annus.* Sane scimus quinquies LXXII esse duodecim menses Ægyptiacos. Sed cui bono? Quum autem diuersæ sint libræ, LXXXIIII, & LXXII denariorum, videndum vtram intellexerit Palladas lib. primo Anthológ. εἰς Γραμματικούς·

Λίβραν ἐτῶν ζήσας μετὰ γραμματικῆς βαρυμόχθου.

Tot enim annos se in nugis Grammaticorum

E con-

consenuisse designat, quot sunt argentei in libra: non autem quot vnciæ, vt interpretatur doctissimus Brodæus. quod est ridiculum.

QVAMVIS consensus gentium in numeris conspirauerit, tamen quædam deprehenditur differentia in appellationibus ipsis, vt illa non solum re, sed etiam verbis fiat. Primum in vtraque lingua ab vnitate, ad mille, non admodum dispar ratio: in sequentibus variat. Græci numquam δέκα χιλιάδας dicunt, non vtique analogia, sed vsu repugnante, qui est magister & dictator loquendi. Itaque pro eo μυρία dicunt. Quia est quiddam summum καὶ ὅλον, in numeris, mensuris, ponderibus, quod proprio nomine designatur, non partibus suis. Non enim dicimus lignum viginti quatuor vnciarum; sed bipedale, quia pes est ὅλον τι, quod Pedis nomen proprium habet, neque partibus suis nominatur. Diodorus tamen Siculus τέτταρας παλαιστὰς dixit, qui est pes solidus, quum pedem cubiti partem faceret; non facturus, si pedibus tantum mensuram concepisset, quum ait Sesonchin regem μεγέθει τέτταρσι παλαισταῖς μείζονα τῶν τεττάρων πήχεων fuisse. excessisse staturam eius quatuor cubitos quatuor palmis. At quatuor palmi sunt pes. Poterat dicere: *proceritate fuit cubitum quatuor, & pedis*: & quidem disertius, VII *pedum*. Itaque τὸ ὅλον & maximum in numeris apud Græcos est μυριάς. Latinis ea quidem fertilitas sermonis non est, vt μυριάδα dicere possint, quemadmodum Hebræi, Æthiopes, Syri, Arabes. Sed quum pro eo *decem millia* dicunt, in eo a Græcis & Hebræis vincuntur; eos autem vincunt, quod millenarium

millenarium numerum elegãter reticere poſſunt, quod nullus ſermo præſtare poſſit. Neque enim dixero διακόσια δραχμῶν, quemadmodum Latine *ducenta ſeſtertium*. Nec ſolum numerum millenarium ſubticent, ſed etiam ſpeciem ipſam, quæ numero concipitur. quod Græci non poſſunt. Dicunt enim: *Da mihi mutua centum*. Græci: χρῆσόν μοι ἑκατὸν χιλιάδας σηστερτίων. In illis Lucilii numerus concipitur, nummi reticentur:

Quid vero &, centum ac ducentum poſſideas ſi Millia?

hoc eſt, ducenta millia ſeſtertium. Idem:

Maximus ſi argenti ſexcentum mille reliquit.

Vbi obiter duo notandum. primum æuo Luciliano *ducentum millia*, *ſexcentum millia* dici æque ſolitum, vt ducenta, ſexcenta. vt apud eundem Lucilium:

Millia ducentum frumenti tolle medimnum.

Nam conſtruunt *ducentum* non cum millibus, ſed cum nomiſmate aut pondere. quod eſt valde ἰδιωτικόν. de quo ſtatim infra videbimus. Præterea notandum apud Lucilium primam produci in *ducentum*; quemadmodum apud Plautum & Terentium in *Triduo*, *Biduo*. Græcis & Latinis conuenit in millenario. Nam vt illis χίλιοι ἄνθρωποι, & χιλιὰς ἀνθρώπων, ſic Latinis *mille homines*, *mille hominum*: quorum plura exempla apud Gellium ſuppeditantur. Sed Græcis tam δισχίλιοι ἄνθρωποι, quam δύο χιλιάδες ἀνθρώπων in vſu eſt. Latini poëtæ tantum dixerint *bis mille homines*. Atque hæc quidem leuia, quamquam non negligenda. Illud vero mirum, veteres illos, quum dicerent *mille nummum*, putaſſe τὸ *nummum* eſſe caſus quarti,

hoc est, accusatiui singularis. Nam, vt omittam Nonium, qui in illis exemplis, quæ non pauca adducit, accusatiuum pro genitiuo positum ait in *mille passum, mille nummum*; audiamus Varronem VIII de Lingua Latina: *Numeri*, inquit, *qui as non significant, vsque à quatuor ad centum, triplices habent formas: quod dicuntur hi quatuor, hæ quatuor, hæc quatuor. Quum peruentũ est ad mille, quartum adsumit singulare neutrum, quod dicitur hoc mille denarium: a quo multitudinis fit millia denarium.* Item infra: *Si esset denarii in recto casu, atque infinitam multitudinem significaret, tunc in patrio denariorum dici oportebat: & non solùm in denariis, victoriatis, drachmis, nummis, sed etiam in viris idem seruari oportere, quum dicimus iudicium fuisse triumuirum, decemuirum, non triumuirorum, decem virorum.* Quis tam futilem sententiam in doctissimo togatorum non miretur? Vult enim, vt ex eius verbis clare colligitur, *mille drachmum* ita dictum, vt *drachmum* sit quartus casus singularis. Adeo hæc stulta opinio mentibus illorum veterum inoleuerat, vt putarent *amphorarum, drachmarum* non posse dici coniunctim, *decem millia amphorarum*, sed *decem millia amphorum*. in qua sententia fuit C. Iulius Romanus vetustissimus & doctissimus magister, vt a Charisio vocatur. Quis hoc ferat in tanto Critico? quasi Lucilius non dixerit

——scalprorum, forcipicumque
Millia viginti. ——

& Plautus Trinummo:

——mille drachumarum Olympicum.

&

& contra Remnius Fauinus libello de ponderibus dixit *drachmum*.

Sexaginta mina, seu vis, sex millia drachmum. non *drachmas*, vt editum est. Charisius: *Item in coniungendo propria quibusdam potestas, qua ratione excluditur; vt quum dicimus, quinquaginta millia nummum.*

His omnibus præmuniuimus nos, antequam ad nobile certamen summorum virorum veniamus, quorum alii *Sestertia* neutro genere nummum millenarium significare affirmant; alii *Sestertia* neutro genere a veteribus oratoribus vsurpata, a solis autem poëtis architectata somniant: vnde etiam, si Diis placet, *Sestertia poëtica* appellant. Quæstio e media quidem Grammatica est, sed quâ, in re nummariâ, nulla sit maioris momenti. Vtrique enim illi castigandi sunt; quod parum Grammatici hic fuerunt. Primum, hæc duo, Mille, & Decies, alterum purum putum substantiuum est, vt χιλιὰς Græcis; alterum transiuit in naturam substantiui communicatione articuli. Dicitur enim *hoc Decies, hoc Centies*. Varro: *Nam quum dicatur* Hoc Decies, *vt* Hoc Mille, *huius mille; vt sit vtrumque sine casibus vocis, dicemus, vt hoc mille, huius mille; sic* Hoc Decies, &c. Martialis:

Sed adhuc supererat centies tibi laxum.

Denarius autem, & *Sestertius* sunt adiectiua; vt, *Denarius numerus, denarius nummus; denarium Philippeum* Plauto in Rudente:

——*centum denaria Philippea.*

Nam *Philippeum* est substantiuum neutrum. Varro: *In quo nobilius Philippeum, quod in bulgam*

abdimus. Sic *sestertius pes*, XII Tabulis, *sestertius nummus*, *sestertium bipalium* Columellæ: *sestertium miliare*. In feminino genere quid vetat dicere *sestertiam drachmam*? τρίτον ἡμίδραχμον, vt Græci loquuntur, & Theutonismus non solum hodiernus, sed etiam priscus Ripuariorum, in quorum legibus Titulo XXIIII, *tertio dimidio solido*, vt Græci τρίτον ἡμιχρύσινον, Latine *sestertio solido*. item Tit. XXVI, *octauo semisolido*. ὀγδόῳ ἡμιχρυσίνῳ. In Titulo XX, 2, error est: *quinque dimidius solidis*. Proculdubio legendum, *quinto dimidio solido*. πέμπτῳ ἡμιχρυσίνῳ. Sic igitur *sestertiam drachmam* dicere, analogia non prohibet. Ergo *denarium*, & *sestertium* adiectiua sunt, non substantiua: & in re nummaria Millia sestertia, Millia denaria dicuntur, perinde ac si Græce esset, χιλιάδες σηστέρτιαι, χιλιάδες δηνάριαι. Dicimus ergo *tria millia sestertia*, & *tria sestertia* pro eadem summa, ea felicitate reticendi τὸ *millia*, qua Græcos carere supra indicauimus. Propterea Iurisconsultus dixit tria Denaria, hoc est, tria millia denaria. l. Lucius. D. de Legatis II. *Quisquis mihi heres erit, sciat debere me Demetrio patruo meo denaria tria, & deposita apud me a Seleuco patruo meo denaria tria; quæ etiam protinus reddi & solui eis iubeo*. Bis idem repetitur, vt omnem suspicionem mendi abesse necesse sit. Quin & vetustissimæ Inscriptionis auctoritate ea locutio confirmatur. DONVM. DEDIT. -X- V. VT. EX. VSVRIS. CENTESIMIS. EIVS. QVANTITATIS. QVÆ. EFFICIT. ANNVOS -X- DC. DIE. VIIII. KAL. OCTOBR. NATALI. DIVI. AVGVSTI. EROGENTVR. EX. ARK. Ibi -X- V. sunt denaria quinque millia, vt apud Iurisconsultum *tria*

denaria

denaria. Nam ex quinque millibus denarium centesimæ vsuræ annuæ nomine gignuntur denarii DC, vt continetur in ipsa Inscriptione. Itaque in eadem habes V *denaria* in neutro, & DC *denarios* masculino. Eodem modo concipiendum in inscriptione Barcinonensi: -X- VII. D. nempe, *denaria septem, quingenti*. Prius in neutro plurali adiectiuo. posterius in plurali masculino. Sed in inscriptione agri Bergomatis XXX. appositum est bis sine adiectione, id est *triginta denaria*. M. CARBASVS. PATIENS. DEDIT. XXX. & infra: FILIO. EIVS. RETERE. DEBEBVNT. XXX. *Sestertia* an *Denaria* dicendum sit, nemo posset assequi, nisi vsura dextantalis apposita fuisset -X- III. *denaria tria*. In Heluetia in pago Wettingen: AD. CVIVS. TEMPLI. ORNAMENTA. ALPINA. ALPINVLA. CONIVNX. ET. PEREGRINA. FIL. -X- C. DEDERVNT. Interpretandum *denaria centum*. Item Arelate: LEGAVIT. EIS. TESTAMENTO. -X- CC. id est, *denaria ducenta*. In Mandubiis ex Antonio Pisone: FLAVIVS. CATVLLVS. TESTAMENTO. AD. MARMORANDVM. BALINEVM. LEGAVIT. R. P. -X- LXXV. id est, *denaria septuaginta quinque*. Eodem modo dicta sunt *denaria decem*, l. XX. § I. de ann. leg. & fideicom. *Quisquis mihi heres erit, fidei eius committo, vti det ex reditu cenaculi mei, & horrei, post obitum, sacerdoti & hierophylaco, & libertis, qui in illo templo erunt, denaria decem, die nundinarum, quas ibi posui.* Neque vero poëtice denaria hic dici obiicient, nisi priuatos homines in testando poëtari solere concedamus. Neque possunt effugere, quin tria sestertia, & tria denaria eodem modo dictum sit, quo plena oratione tria

millia sestertia, tria millia denaria. Quid audebunt hiscere aduersus illud Horatianum?

Accipit & bis dena super sestertia nummum.

Nam, si vt ipsi volunt, *sestertium* est Nummus poëticus; quæ hæc erit locutio, *Sestertia nummum*, nisi nummos nummorum? Mirum vero, quum tot poëtica sestertia protulerint, non vidisse iugulari sese istis poëticis sestertiis nummum, id est nummis nummorum. Sed quid opus hæc pluribus rationibus munire, quum Charisius doctissimus & vetustissimus Grammaticus id digito ita indicarit, vt vel obstinatissimo cuique per illum tacere liceat: *Item in coniungendo propria quibusdam potestas, quæ ratione excluditur: vt quum dicimus, Quinquaginta millia nummum: nec statim centies nummum dicere possumus, sed centies sestertium: nec tamen quinquaginta sestertium, sed quinquaginta sestertia dicimus.* Ecquod telum efficacius eorum pertinaciæ conficiendæ adferri potuit? Quinquaginta sestertia, non quinquaginta sestertium dici debere diserte dicit. Quid? dicemus Charisium poëtari? Huius ineptæ sententiæ pater est maximus ille Georgius Agricola, cuius auctoritas & eximia doctrina alios doctos viros in eundem errorem præcipites dedit. Poteram huc congerere multa testimonia, non solum ea, quæ ipsi aduersus sese adducunt, sed & alia non pauca, quæ illorum manifestum errorem confutare possunt; præsertim inscriptiones veteres, in quibus HS. XII. N. *sestertia duodecim nummum* significant, vbi numerus XII non habet virgulam instratam, qua ipsi volunt millenarium numerum designari: quum tamen plures numeri in veteribus

ſaxis extent, quibus illa virgula impoſita non eſt, quam qui habent. Præterea quæro ex illis, quid in Catulli Hendecaſyllabis extat, quod e medio vulgi ſermone petitum non ſit? Quid in Sermonibus Horatii, qui gloriatur ſuos verſiculos, ſi carminis legem retexas, videri poſſe id, quod titulus libri promittit, ſermones meros? Sed friget eorum commentum: neque omnia faciendo vitare poſſunt, quin quæ Horatius, & Catullus, vt alios poëtas taceam, *ſeſtertia* vocarunt, eadem Cicero, & alii ſermonis Latini proceres, totidem ſyllabis, ac literis vſurparint. Cicero Paradoxis: *Capit ille ex ſuis prædiis ſexcenta ſeſtertia*. Idem VI Verrina: *Ex eo fundo, cui ſeſtertia dena merces eſſet*. Hic corrigunt *ſeſtertium dena*. quod barbarum, & inauditum eſſe audacter pronunciamus. Salluſtius: *Præmium ſeruo libertatem, & ſeſtertia centum*. Et hîc *ſeſtertium* ſubſtituunt: quod negamus Latinum eſſe. L. Seneca decimo Epiſtolarum ad Nouatum, citante Priſciano: *Viginti quatuor ſeſtertia, id eſt, talentum Atticum*. M. Seneca in Controuerſiis: *Quum donaret illi Cæſar Talentum, in quo* XXIIII *ſeſtertia ſunt*. Q. Curtius libro VIII. *Data ſingulis quinquaginta ſeſtertia*. Quæ libro IX rectiſſime exponit *aureos mille*. Iuuenalis Sat. V.

Quadringenta tibi ſi quis Deus. —

veteres Gloſſæ, *Seſtertia dederit, ſcilicet*. Apuleius Mileſia X. *Eique protinus quinquaginta promittit ſeſtertia*. S. Cyprianus de redempt. captiuorum: *Miſimus ſeſtertia centum millia nummum*. Tacitus Annali XI: *Daturum liberis eius ducena ſeſtertia*. Eodem: *Capiundis pecuniis poſuit modum vſ-*

quæ ad dena ſeſtertia, qua egreſſi repetundarum tenerentur. Quid de illo Gelliano dicent lib. xix, cap. x? *Neceſſaria eſſe videri ſeſtertia fere trecenta, & præter propter alia quingenta.* Sed diſertius lib. v, c. xii. *Id eſt, nummi noſtri ſeſtertia duo, & ſeptuaginta.* Suetonius Veſpaſiano: *Centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim proiicerent.* In vita Virgilii: *Dena ſeſtertia pro ſingulo verſu Virgilio dari iuſſit.* Macrobius: *Quum Cæſar aliis, qui ſecum pila luſitabãt, centena ſeſtertia; illi vni quinquaginta dari iuſſiſſet.* Tertullianus Apologetico: *Video enim & centenarias cœnas a centenis iam ſeſtertiis dicendas.* Iſte locus Tertulliani ſeſtertiis poëticis tragulam iniicit. Quis enim dixerit *centenarias cœnas* à centenis nummum, vt ipſi volunt, dictas? Quam ridiculum! Non ſunt ergo audiendi doctiſſimi viri, qui ſeſtertia poëtica hariolantur, & ſexcentos veterum locos temerare audent, vt ſomnia ſua muniant. An & Græcos quoque poëticari dicent? Iis quidem Denarius, Δηνάριον, & Seſtertius Σηςέρτιον neutro genere enunciatur. Tamen Σηςέρτια numero multitudinis illis ſunt idem, quod Seſtertia Latinis. Græci etiam mille nummos vocant Σηςέρτια. Plutarchus in Fabio: Θέας δὲ μυστικὰς καὶ θυμελικὰς ἄξειν ἀπὸ σηςερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου προσόντος. Deinde huius ſummæ rationem conficit ad drachmam Atticam: Τοῦτο τὸ κεφάλαιόν ἐστιν ὀκτὼ μυριάδες δραχμῶν, καὶ δραχμαὶ τρισχίλιαι πεντακόσιαι ὀγδοήκοντα τρεῖς, καὶ δύο ὀβολοί. Hic igitur τριακόσια τριάκοντα τρία σηςέρτια haud dubie ſunt, quæ Latine *trecenta triginta tria ſeſtertia.* Ea ſunt LXXXIII millia, CCL denarii, quibus ſi

addas

addas trecentos triginta tres denarios, efficies summam propositam nummi Attici. nempe octaginta tria millia, quingentas octaginta tres drachmas. Sestertia poetica, & menda librariorum, quæ docti homines caussabantur, strenue hoc vnico loco Plutarchi eluduntur. Nam sestertia poëtis ademit Plutarchus; Cicero autem, & alii, ac imprimis Varro & Charisius *sestertia millia* a mendi suspicione vindicant. Dicebant igitur plene, decem sestertia millia; & præcise, decem sestertia. Alterum, quia millia est nomen substantiuum; sestertia adiectiuum. alterum, quod *sestertia* ex adiectiuo in naturam substantiui transierunt; quæ hodiernum Grammaticorum vulgus barbare quidem, sed tamen signanter, nomina substantiuata vocant. Quæ obseruationes Grammaticæ multum lucis his difficultatibus adferunt. Dices igitur, decem sestertia, decem millia sestertia, decem sestertia nummum. quorum exempla infinita sunt apud auctores, & in veteribus saxis. Cicero Verrina quarta: *Facta est sponsio sestertium quinque.* Sestertia quinque vocat, quæ postea sestertia quinque millia. Paulo post: *Coëgit Scandilium quinque illa millia dare.* Plus dico. vt *millia sestertia*, ita *millia modia, millia medimna* dicebant, & simpliciter *medimna*. Cicero Verrina v. *Tritici septem medimna ex Nymphonis arationibus tollit.* Ibidem: *Tritici medimna triginta quatuor.* vtrobique inepte *medimnum* excusum. Nam *medimnum* ex substantiuo factum adiectiuum. idem mendum in eadem: *Anni tertii decima anno tertio venierunt tritici modium triginta sex.* quod barbare conceptum. scribe *modia*. Iterum in Ver-

rem:

rem: *Medimna* DCC, Medimna septingenta, id est, septingenta millia medimnum. Ibid. *Medimna* XXXVI. intellige triginta sex millia medimnum. Priscianus lib. VII agnoscit *Medimnum*, non *medimna*. quare menda est vetustissima. Priscianus legit *septies medimnum*. quod est & ipsum adiectiuum. Sed summa longe maior. nam *septem medimna* sunt septem millia medimnum: *septies medimnum*, septies centena millia. Rursus Cicero in Epistolis: *Ea pars est ad* XXX *sestertia*. In Verrinis: *Numerantur illa sestertia ducenta quinquaginta Syracusis*. Superest nunc vt de amplis millenariis verba faciamus. Ampli millenarii sunt, quibus præposita est nota aduerbii amplificatiui, *decies, centies, millies*. Hæc aduerbia naturam nominum substantiuorum induunt accessione aut articuli, vt *hoc Decies*; aut κατηγορουμένου, vt *Decies plenum, decies laxum, decies amplum*; *decies sestertium*. Nam, vt ostendimus, *sestertium* est adiectiuum. Valerius libro IX: *Qui decem arbuscularum vmbram tricies sestertii summa compensat*. Suetonius Cæsare: *Sexagies sestertio margaritum mercatus est*. Seneca: *Claudius Cæsar centies sestertio cænauit vno die*. Cornelius Nepos in Attico: *Vt neque in sestertio vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit: neque in sestertio centies affluentius vixerit*. Seneca De beneficiis IIII, cap. XXXVI, *Sestertio centies obiurgandus sim*. Idem ad Heluiam: *Quorum Pantomimæ sestertio decies nubunt*. Ista autem quæ per amplificationem enunciantur, intelligenda sunt de sestertiis, nisi speciatim denarii nomen adiiciatur. Plutarchus in Antonio: Τῶν φίλων περὶ μυριάδας ἐνέλαδον πέν-

τε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. τοῦτο Ῥωμαῖοι ΔΕΚΙΕΣ καλοῦσι. viginti quinque myriades quadruplicatæ ſunt decies centena millia ſeſtertium. Quum tam clare id a Plutarcho ſcriptum ſit, vir tamen doctiſſimus Othomanus negat DECIES de ſeſtertiis intelligendum. Quod quia manifeſto falſum eſt, non confutabo. Idem doctus vir collegit magnam ſiluam ampliſſimæ huius ſummæ: vbi maior pars redigenda ad variationes caſuum; quas ipſe quum intelligeret, non poſuit tamen; quum *ſeſtertium* in genitiuo plurali; pro *ſeſtertii* aut *ſeſtertio* legit. Hæc lector ſtudioſus corrigat. vt in illo Suetonii in Iulio, L. *Sexagies* HS. *margaritum mercatus eſt*. Othomanus legeret *ſeſtertium*: nos vero *ſeſtertio*. Sic Philippica ſecunda: *Syngrapha* HS *centies per legatos viros bonos, ſed timidos, & imperitos, ſine Sextii, ſine reliquorum hoſpitum Regis ſententia, facta in gynæceo*. Rurſus idem doctus vir hic legeret *ſeſtertium*: nos *ſeſtertii*. Apud Velleium de C. Curione: *An accepto centies* HS *fecerit*. An hic dicet *accepto centies ſeſtertium*, non *ſeſtertio*? Nugæ. Quis ferat ita loquentem? Adducit poſtea locum ex Capitolino, vbi mendum inſigne odoratus non eſt: *Omne autem conuiuium æſtimatum dicitur ſexagies centenis millibus ſeſtertium*. Quod quid ſit, qui Latine ſciunt, non intelligent. Legendum enim *ſexagies centies millies ſeſtertio*. Retro ratio concepta eſt, more Græcorum, & Hebræorum; quum priſci Romani ita dicturi fuiſſent, *millies centies ſexageſies ſeſtertio*. Negari non poteſt hanc lectionem ab erudito viro intellectam non fuiſſe. Locum ex IIII Hiſtoria Taciti adducit Othomanus, vbi mendum tollendum eſt:

Quum

Quum ex funere Reip. ruptis consularibus spoliis septuagies sestertio signatus, & sacerdotio fulgens. Vbi sine vllo dubio legimus, *septuagies sestertio saginatus.* Doctissimus vir posuerat *dignatus.* Sed neque consultius in Suetonii Vespasiano XIX, *Vt audiit* LLS *centies*, locum illũ interpretatur *sestertium centies*, ita vt *sestertium* sit genitiuus pluralis. Quis enim Latine intelligens dixerit *centies millia sestertium?* Grammatica patitur *centies mille*, vsus non admisit. Quis dubitare possit, ibi legendum *sestertiis centum?* Idem error apud Ciceronem ad Atticum lib. II. Epist. XX: *Diodorus mortuus est. reliquit nobis* HS *fortasse centies.* legendum enim *centum.* id est, sestertia centum. Minus assequitur illud Suetonii in Galba: *Liuiæ mortuæ testamento pæne ditatus est.* HS *nanq. quingenties, quum præcipuum inter legatarios habuisset, quia notata, non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta reuocante, ne hoc quidem accepit.* Locus est luculentus; & ex iis, quæ supra adduximus, facilis explicatu. Liuia scripserat HS IↃↃ PRÆCIPITO. Diuinandum est, vtrum hæ notæ *quingenties sestertium*, an *quingenta sestertia* designent. Hinc Tiberius ansam circumscribendi legatarii captauit, quod interpretatio in notis ambigua est, eodem modo, quo Epistola V lib. VI ad Att. *Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras; velle te bene euenire, quod de Crasso domum emissem. Emi eam ipsam domum* XXXV. Paulus Manutius male eam summam interpretatur. Incertum vtrum *tricies quinquies sestertio*, an *triginta quinque sestertiis.* Velleius lib. II. *Mandetur deinde memoriæ seueritas iudiciorum.*

iudiciorum : Quippe M. Cato Consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est, quum lis eius IIII M. *æstimaretur*. Nemo non videt ex voce *eius* faciendum *ei* HS. Sed *quatuor millibus sestertiorum*, an *sestertio quater millies* legendum, dubitari possit. Apud Ciceronem in Verrinis XVIII M. non IIII M. legimus. quum de hac re bis loqueretur. At vir eruditus in Suetonii Galba ait a Liuio in testamento scriptum fuisse HS QVING. Quis vnquam ita scripsit, vt quum notulis IↃ possit *quingenta* designare, id pluribus literis, truncata voce, quomodo nemo vnquam scripsit, mallet exponere? Manifestum est eum errare. vt in illo ex Verrina IIII. *Sestertium vndecies numerata esse*, probat hanc lectionem; veterem, quæ *numeratum* retinebat, damnat. Nos contra. Idem non multo post vtramque lectionem probat. nos negamus *vndecies sestertium nummum*, item *vndecies numerata* Latinum esse. Hoc indignum tam diserto viro. Concludimus igitur, Decies, centies, millies, & omnia eius formæ amplificatiua omnium casuum articulos, & omnium adiectiuorũ casus recepisse. Hoc decies, huius decies, decies amplũ, decies ampli, decies amplo. Sic decies sestertio, decies sestertii. &, toties sestertio, toties sestertii. Seneca Epist. XCV: *Et toties tamen sestertio adiiciales cenæ fortissimis viris constiterunt*. Ita habent scripti codices, & editi antequam Mureti editio prodiret; qui, nisi fallor, auctor est istius mutationis. Atqui Seneca *toties sestertio* dixit, id est, tam immani summa. Neque profecto caussæ erat, cur aut Muretus lectionem mutaret, aut alii docti de eá dubitare & velitari

velitari nondum desinant. Sed considerandum fuit, quod dixi, hæc aduerbia amplificatiua esse nomina substantiua, & propterea *centies sestertium* dici posse, quod *sestertium* sit adiectiuum. Charisius: *Nec statim centies nummum dicere possumus, sed centies sestertium.* Verissime quidem ille. sed caussas non apponit, aut nesciuit. Nescit enim, aut non aduertit, *sestertium* esse adiectiuum. At ille putat esse genitiuum pluralem, vt *nummum*. Miratur igitur, quod quum dicatur centies sestertium, non dicatur tamen centies nummum. Non igitur dicimus *accepto decies nummum*, neque *acceptis decies sestertium.* Hæc enim barbara sunt. Esto hæc regula: Numquam genitiuum cum amplificatiuis iungi. Non enim dicimus *centies nummum*, vt recte monet Charisius, & Varro. Præterea: Numquam amplificatiua pluraliter enunciari. Non enim dicimus *hæc decies, hæc centies*. in Verrina III. *Hinc* HS *quaterdecies P. Tadio numerata*. scribendum, *numeratum*. Gellius lib. XII. *A P. Sulla, qui tum reus erat, mutua* HS *vicies tacite accepit.* Imo *mutuum*. Sed infinita extant passim apud auctores multitudinis numero scripta, quæ ad singularem numerum restituenda sunt. Satis est attentum lectorem monuisse. Liuius lib. XL. *Sestertium nummum quater & vicies ab iis est exactum*. Tollatur τὸ *nummum*. Iam enim ex Charisio intellexisti, non dici *decies nummum*. Apud eundem XLI. X *pondo auri & argenti ad summam sestertium decies in ærarium retulit*. Legendum *sestertii*. Apud Senecam nondum locus animaduersus est Quæst. I. cap. XVI: *Hunc diuitem auarum sestertium millies seruum*. Legendum *sestertii*.

sestertii. Tacitus: *Bis & vicies mille* IIS *donationibus Nero effuderat*. Scribendum, *Bis & vicies millies sestertium*. Martialis propter versum, licentia poëtica dixit decies centum millia. In soluta oratione esset decies centena.

Si dederint superi decies mihi millia centum.

Solinus amplificatiuam summam amplum sestertium vocauit, cap. XL. *Denique basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni compararunt*. Amplum sestertium putamus esse DECIES. quod Horatius vocauit solidum.

Scilicet vt decies solidum exorberet.—

ea enim est ampla summa. Non enim est nummus, vt placet doctissimo Turnebo, sed numerus, ἢ ἄθροισμα. Budæus non semel perstringit eos qui censent τὸ *sestertium* esse rectum, aut quartum casum, quum, inquit, is sit genitiuus. Notandum vero, quod supra monuimus, tam simplam, quam amplam summam, iisdem notis concipi solitum fuisse, vt quia error in ambiguo lectionis committi posset, magna attentione opus fuerit: quemadmodum vidimus in testamento Liuiæ apud Suetonium Galba. Legimus itaque apud Plinium: *A Gange amne, ostioque eius, quo se in eorum Oceanum effundit, per Indiam Parthienemque, ad Myriandron vrbem Syriæ, in Issico sinu positam* LII. M. XV *passuum, decem & nouem*. Martianus Capella hæc, vt solet, ex Plinio exscribens non notis, sed perscriptis verbis, ita extulit: *quinquagies bis centena quindecim millia*. Tamen ex Plinio τὸ *centena* non possunt erui, nisi per interpretationem. Rursus apud eundem: *Latitudo autem terræ à meridiano situ, ad Septentrionem dimidio fere mi-*

nor colligitur LIIII M. LXII. possumus interpretari quinquaginta quatuor millia passum, sexaginta duos. Sed Martianus amplificatiue: *quinquagies quater centena sexaginta duo millia.* Plinius: *Longitudinem Europæ Athenodorus, atque Isidorus a Tanai, ad Gades,* LXXXII. XCIIII. Putarit aliquis esse octaginta duo millia nonaginta quatuor. Martianus: *Octogies bis centena nonaginta quatuor.* scilicet, millia passum. Itaque qui huic dubio occurrere volebant, simplicem summam addito N. scribebant HS. V. N. *sestertiis quinque nummum.* HS. V. autem est *sestertio quinquies.* Quod autem attulimus de amplificatiuis aduerbiis per omnes casus vsurpatis, id fecimus, non quia nemo id aduerterit, aduerterunt enim Budæus, & Othomanus, alii, sed quia vterque, ac præsertim Othomanus, non raro in iis, quæ adducunt, testimoniis peccarunt. quorum quædam superius correximus. Sic apud Liuium lib. XLV, hodie editum est: X *pondo auri & argenti ad summam sestertium decies in ærarium retulit.* Vbi idem doctus vir non vidit, legendum esse, *sestertii,* vt in illo Annalis II apud Tacitum: *Inlectus a diuo Augusto liberalitate decies* HS. putat *sestertium* legendum, vbi eadem hallucinatio. Nam *sestertii* scripserat Tacitus. Sed infinita sunt, quæ ille præpostere legit, vt mediocriter docto constare potest. Plinius de Citro lib. XIII, cap. XV: *Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, &, quod magis mirum est, illo æuo, empta* HS X. *Memoratur & C. Asinii sestertio vndecies.* Vbi mirum in modum Budæus hallucinatur, qui putauit esse sestertiis decem, & sestertiis vndecim. Mirum vero

decies

decies ſeſtertio menſam Ciceronis emptam dici a Plinio, a Tertulliano autem quingentis millibus: hoc eſt dimidio, quam Plinius dixit. contra Aſinii Galli duplo, id eſt decies ſeſtertio, non vndecies ſeſtertio, vt perhibet Plinius. Itaque Petrus Ciacconus Hiſpanus, vir acri iudicio, legebat HS. D. id eſt, vt ipſe interpretabatur, ſeſtertiis quingentis. Sed hoc eſset quingenties ſeſtertio. quæ ſumma eſt immaniſſima. Sic in Vita Perſii a vetuſtiſſimo Grammatico conſcripta: *Reliquit circa* HS. XX *matri, & ſorori.* Haud dubie intelligendum, ſeſtertium vicies. At ſi ſcriptum fuiſſet HS. XX. N. eſſent ſeſtertia viginti. vt, quod Ciacconus volebat, ſi ſcriptum eſset HS D. N, eſſent ſeſtertia quingenta. In eadem Vita ſtatim poſt: *vt daret Cornuto ſeſtertia, vt quidam dicunt, centies.* Nemo non videt legendũ eſse *ſeſtertium*. Sic eiuſdem optimi Grammatici Gloſsæ à nobis olim excerptæ, in Sat. IIII, de Criſpino oratore: *Poſſedit bis* ∞ HS. Intellige *bis millies ſeſtertium*. Addita notula N, fuiſſet *bis millena ſeſtertia*. Quæ quidem nota in veteribus ſaxis & libris extare videtur, ob eam cauſsam, ne ſumma ſimpla pro ampla accipiatur. Aliquando non apponitur, ſi adiectiuum, aut participium plurale antecedat: vt in illo monumento: HVIC. MONVMENTO. EX. TESTAMENTO. LEGATA. SVNT. HS. VII. A. SEMPRONIO. SEVERO. Eſt ſimpla ſumma. Hoc eſt ſeſtertia ſeptem. Quod ſi LEGATVM ſcriptum fuiſset, ea eſset ampla ſumma, nempe Seſtertium ſepties. Romæ in S. Cæſarii ad Tiberim: L. TARQVITIO. L. F. POMP. ETRVSCO. SVLPICIANO. SCRIBÆ. QVÆSTOR. EX. TESTAMENTO. D. HS. XX. Ambiguum, vtrum datum ſeſter-

tium vicies, an data sestertia viginti. Et multa alia præterea, quæ lectori obseruanda relinquimus. Romæ ante hortos Carpenses: PROCVR. TRIVM. PROV. GALL. LVGVDVNENSIS. NARBONENS. ET. AQVITANIÆ. AD. SS. LX. PROC. ALEX. PELVSI. AD SS. C. id est: Procuratori trium Prouinciarum Galliæ, Lugudunensis, Narbonensis, & Aquitaniæ ad sestertium sexagies. Procuratori Alexandriæ Pelusi ad sestertium centies.

NVNC exiguum spicilegium faciemus quorumdam locorum selectorum apud veteres auctores, qui animaduersione opus habent. Plinius libro XXXV. cap. IIII. *Namque quum in præda vendenda res distraxisset, & Rex Attalus sexdecim libris emisset Aristidis tabulam* &c. pro *sexdecim libris*, legendum *sexcentis millibus*. Lapsus facilis. id est 12500 scutatis Solaribus.

Valerius Maximus lib. IIII. cap. II. *Fabricius a Samnitibus, quos vniuersos in clientela habebat, denos æris, & quinque pondo argenti*, &c. Manifesto legendum *dena æris*, scilicet pondo. duplum pondus auri quam argenti. vbi Othomanus legit *decies æris*. quod supra ostendimus barbarum, non Latinum esse. Minus vitiose editio Pighiana, *decem æris*.

Liuius lib. XXII de ludis votiuis Q. Fabii Maximi: *Eius rei caussa ludi magni voti æris* CCCXXXIII *millibus, triente.* Mutila oratio. Scripsit Liuius: *Eius rei caussa ludi magni voti æris* CCCXXXIII *millibus, trecentis triginta tribus, triente.* Plutarcho auctore, cuius verba: Θέας ἢ μουσικὰς ἢ θυμελικὰς

ἄξειν

ἄξειν ὑπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα βιῶν, καὶ δηναρίων βιακοσίων βιάκοντα τριῶν, ἐπὶ τριτημορίῳ πρεσβεύοντος. Duo errores: alter librarii; alter Plutarchi. Plutarchi quidem æreos nummos σηστερτίους ἀντὶ δηναρίων interpretantis: Librarii, quum Plutarchus scripserit: ὑπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν χιλιάδων, καὶ τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἐπὶ βιτημορίῳ πρεσβεύοντος. Quam ridiculum enim, postquam sestertiorum meminisset, totidem denarios pro minore summa subiicere? Budæus recte suspectum de mendo locum Plutarchi habuit; sed Othomani sententia longe discedit a vero. neque vllum operæpretium est confutare. Contrarius error est eiusdem Plutarchi sestertios pro drachmis accipientis. Cicero pro Sexto Roscio: *Bona patris huiusce Sexti Roscii, quæ sunt sexagies, quæ de viro fortissimo & clarissimo L. Sulla duobus millibus nummum sese dicit emisse L. Chrysogonus.* Plutarchus hæc interpretans: αὐτὸς ἐωνήσατο δισχιλίων δραχμῶν. imo δισχιλίων σηστερτίων, hoc est πεντακοσίων δραχμῶν, vel potius δηναρίων dicere debuit. Idem error Strabonis libro v. in fine: ὥστε ὑπὸ λιμοῦ διακοσίων δραχμῶν πραθέντος μυός. Plinius lib. VIII. cap. LVII. *Venisse murem ducentis nummis Casilinum obsidente Annibale.* hoc est, πεντήκοντα δραχμῶν.

Plutarchus in Camillo: Ὤφλε τὴν δίκην ἐρήμην τίμημα μυρίων καὶ πεντακισχιλίων ἀσσαρίων ἔχουσαν, ὃ γίνεται πρὸς ἀργυρίου λόγον χίλιαι δραχμαὶ καὶ πεντακισχίλιαι. ἀσσάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύρεον. καὶ τὸ δεκάχαλκον οὕτως ἐκαλεῖτο. Plutarchus scripserat: ὃ γίνεται πρὸς ἀργυρίου λόγον χίλιαι δραχμαὶ καὶ πεντακόσιαι. Ἀσσαρίων γὰρ ι ἦν τὸ ἀργύρεον.

Apud Liuium VIII. *Vectigal quoque eius Campanus*

panus populus iussus pendere in singulos quotannis (fuere autem mille & sexcenti) denarios nummos quadringentos quinquagenos. Quis non videt τὸ *denarios* abundare? Neque enim Liuius *denarium nummum*, sed *denarium* tantum vocare solet: neque adhuc denarius Romæ signatus erat, vt docet Plinius, & nos in Eusebianis.

Apud eundem libro XXXIII. *Tulit in triumpho argenti denarios triginta quatuor millia, & quingentos quinquaginta*. Neque proba est locutio, neque summa digna triumpho florentissimis rebus Romanis. Legendum, *denarium trecenta quatuor millia*. quo modo locutus est lib. XLI. *Tulit in eo triumpho denarium* CCCVII *millia, & victoriatum* LXXXV *millia*, DCCII.

Appianus Ciuilium II. Διένειμε τὰ ὑπεσχημένα πάντα ὑπὲρ ἄλλων, στρατιώτῃ μὲν ἀνὰ πεντακισχιλίας δραχμὰς Ἀττικάς, λοχαγῷ δὲ αὐτοῦ τὸ διπλάσιον, καὶ τοῖς δημόταις ἑκάστῳ μνᾶν Ἀττικήν. Lege, πεντακοσίας δραχμὰς ex Suetonio in Iulio, XXXVIII. Sic contra alibi πεντακοσίας pro πεντακισχιλίας.

Dion in Claudio: Τοῖς δορυφόροις πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς ἔδωκε. Iosephus de Claudio: Δωρεῖται τοὺς σωματοφύλακας πεντακισχιλίαις δραχμαῖς. Sane πέντε καὶ εἴκοσι non sunt πεντακισχίλιαι. Sed antiquarius, qui Dionem exscripsit, πέντε καὶ εἴκοσι δραχμ̄ ͵α posuerat. Nam ͵α est χιλιάς. Itaque πέντε καὶ εἴκοσι δραχμῶν χιλιάδας scripsit Dion, non πέντε καὶ εἴκοσι δραχμάς. Idem dixit Spartianus in Didio: *Sane quum vicena quina militibus promisisset, tricena dedit*.

Cicero Attico lib. I. Epist. V. *L. Cinnio* HS XXCD *constitui me curaturum*. Lege HS XX CIↃ: minima mutatione, hoc est, sestertia viginti millia.

Dio

Dio lib. XLI. de Cæsare Dictatore: Ἀπηγόρευσε μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ, ἢ χρυσίῳ κεκτῆσθαι. Lege: πεντακισχιλίων μυριάδων. Porro potest vox δραχμῶν sine detrimento sententiæ abesse. quod putamus verum esse.

Apud eundem lib. LVI. Τῶν δὲ γυναικῶν τισὶ καὶ παρὰ τὸν Οὐοκώνιον νόμον, καθ᾽ ὃν οὐδεμία αὐτῇ οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν, συνεχώρησε τοῦτο ποιεῖν. Mendum manifestum. Reponendum: οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας τετιμημένης οὐσίαν κληρονομεῖν.

Cicero in Verrem: *Sestertium quadringenties accepisse te arguo contra leges*. Plut. in Cicerone: Οὕτω δὲ τοῦ Βέῤῥου καταδικασθέντος ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδων τιμησάμενος τὴν δίκην ὁ Κικέρων διαβολὴν ἔσχεν ὡς ἐπ᾽ ἀργυρίῳ τὸ τίμημα καθυφειμένος. Docti frustra de mendo suspicantur. Cicero Verrem quadringenties quidem accepisse dixit, quum tamen tricies sestertio litem ei æstimarit pecunia corruptus, quod Græce dicitur καθυφεῖσθαι: hoc est caussam prodere: quo nomine καθυφέσεως δίκη Athenis prodita. Glossæ: *Prauaricor reo*: Καθυφίημι τοῦ ὑποδίκου.

Tacitus Historia secunda; de Vitellio: *Ipse abunderatus, si præsentibus funeraretur, nec longius consultans, nouies* LLS *paucissimis mensibus interuertisse creditur*. Deest nota M. nouies M. LLS. hoc est nouies millies sestertium. Zonaras de eadem re: Πρὸς πάντων ὡμολόγηται δύο μυριάδας μυριάδων καὶ χιλίας πεντακοσίας ἐν τῷ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ χρόνῳ εἰς τὰ δεῖπνα αὐτὸν δεδαπανηκέναι. Locus est luculentus, sed insigniter mutilus. Nam Zonaras ita scriptum reliquerat: ὡμολόγηται εἴκοσι δύο μυριάδας μυριάδων, καὶ χιλιάδας

μάδας πεντακοσίας. Nouies millies ſeſtertium ſunt denarii, vel, vt ipſe loquitur, drachmæ 22500000: quæ ſane ſunt εἴκοσι δύο μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες πεντακόσιαι μυριάδων. Hoc eſt, vt vulgo logiſtæ loquuntur, Regalium Caſtilienſium, aut Iuliorum Pontificiorum milliones ducenti vigintiquinque; Scutatorum monetæ in Italia, milliones viginti duo, & præterea ſcutatorum quingenta millia: aut milliones viginti duo ſemis ſcutatorum monetæ. Francici numi 18750000 ſcutatorum Solatorum. Tantum potuit abſumere gurges ille.

Plutarchus in Cæſare: Ὁ Κάτων ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον ἔμμηνον· ἐξ οὗ δαπάνης μὲν πεντακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες ἐνιαύσιοι προσεγίνοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασι. Legendum ſine dubio: ἑπτακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες. Nam idem in Catone, de eadem re loquens, hanc ſummam mille ducentis quinquaginta talentis æquat. Verba eius ſunt: Ὁ Κάτων φοβηθεὶς ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον, καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον, ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυσίου χιλίων. καὶ διακοσίων, καὶ πεντήκοντα ταλάντων. Sanè ἑπτακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες δραχμῶν, hoc eſt 7500000 drachmæ, ſunt 1250 Talenta.

Budæus, & eum ſecutus Georgius Agricola, ambo eruditiſſimi viri, τόκον ἔφεκτον ex oratione πρὸς Φορμίωνα interpretantur fœnus ſeſquiſextum, id eſt, præter drichmam, ſextam partem drachmæ, nimirum obolum: vt præter centeſimam vſuram, quæ eſt drachma menſtrua, obolus quoque accedat, & annua vſura ſit drachmarum XIIII. Putauit Budæus ἔφεκτον τόκον, ita dictum, quemadmodum ἔφεκτον λόγον apud Logiſtas. Ἔφεκτος λόγος dicitur, as, & ſexta pars aſſis, vt ſunt VII ad VI.

At

At longe aliter res habet. Nam ἔφεκτος apud Logistas dicitur τὸ ἕκτον ἐπὶ τῷ ὅλῳ. vt ἐπίτριτος, τὸ τρίτον ἐπὶ τῷ ὅλῳ. At ἔφεκτος apud Danistas dicitur, non quod præpositio ἐπὶ significet adiectionem, vt apud Logistas, sed quod dicitur δανείζειν ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ δυοῖν ὀβολοῖν, ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, ἐπὶ τρίτῳ. Longe itaque differunt τὸ ἔφεκτον δανειστικὸν, καὶ τὸ ἔφεκτον γεωμετρικόν. Igitur ἔφεκτος τόκος est fœnus in sextam partem drachmæ; Latinis sextantalis vsura. Exemplum esto τόκος ἐπόγδοος. de quo infra. hoc est, ἐπὶ ὄγδοον μέρος τετραδράχμου, τριώβολον· ἐπὶ ὄγδοον μέρος δραχμῆς, ἓξ χαλκοῖ. Apud Cedrenum: τοὺς ἐν Κωσταντίνου πόλει ἐπισήμους ναυκλήρους συναγαγὼν δέδωκεν ἐπὶ τόκῳ τετρακεράτου κατὰ νόμισμα ἀνὰ χρυσίου λίτρας δώδεκα. Manifestus ἔφεκτος τόκος. Nam XXIIII κεράτια sunt in Solido; quorum τετρακέρατον est τὸ ἕκτον ipsorum.

Centesima vsura scribebatur per Ↄ inuersum. Mætius Volusianus: *Centesimaque commodia, vt vsurarum nomine ad sortem applicaretur sicilico, id est C auerso eo notari.* Mire deprauatus locus; & tamen expedita restitutio: *Centesima, quæ commodi, aut vsurarum nomine ad sortem applicaretur, sicilico, id est, C auerso, eo notatur; quod quum C centum significaret, conuertebatur ad eam summam cuius centesima futura erat. Et siue vna conuenerat, vnus Sicilicus; siue plures, tot Sicilici ponebantur.* Centesima vsura a Græcis dicitur τόκος ἐπὶ δραχμῇ. quod Drachma sit centesima pars Minæ. τόκος ἑκατοσταῖος in iure Constantinopolitano. cuius exemplum in veteri inscriptione: DONVM. DEDIT. -X-V. VT. EX. VSVRIS. CENTESIMIS. EIVS. QVANTITATIS. QVAE EFFICIT. ANNVOS -X- DC.

DIE. VIIII. KAL. OCTOBR. NATALI. DIVI. AVGVSTI. EROGENTVR. EX. ARK. Quæ alibi citauimus. Perſpicuum autem eſt denarios DC eſſe centeſimam vſuram quinque milliū denariorum. Quod autem Voluſius Mætianus addit, ſiue vna conuenerat, vnum Ɔ ſiue ſicilicum; ſiue plures, tot Sicilicos poni ſolere, intelligitur de centeſima centeſimæ, qui eſt τόκος τόκων, καὶ ἀνατοκισμός. cuius exemplum extat in veteri inſcriptione Neapolitana: HEREDES. VERO. PATVL. DIOCL. MVLCTENTVR. SORTE. VNA. CVM. ANATOCISMO. BINAE. CENTESIMAE. VSVRAE. PROPTER. NEGLECTAM. RELIGIONEM. SEPVLCHRORVM. Videtur vero hæc vſura propria Græcorum fuiſſe; & ita accipiendum eſſe locum Pomponii Atellanarii in Paſtoribus:

—quæ tuleram mecum decem millia
Victoriatum, Græca mercede illico
Curaui vt occuparem.—

Nam merces eſt fœnus. Horatius:

Hic quinas capiti mercedes exſecat.

Nam X millia Victoriatum ſunt quinque millia denarium, quorum vnciarium fœnus annuum, denarii DC. & rurſus ipſorum DC vnciarium fœnus Romæ LXII denarii. Ita Græca mercede, hoc eſt ἀνατοκισμῷ binæ centeſimæ vſuræ, fœnus annuum, quinque millium denarium erit DCLXXII denarii. Græcam mercedem igitur intelligimus ἀνατοκισμὸν DCLXXII pro V. M. Nam Romani non habent quo exprimanr ἀνατοκισμόν. Ergo proprium Græcorum, non Romanorum.

Vſuræ ſemiſſes. τόκος ἐπὶ τρισὶν ὀβολοῖς. in iure Conſtantinopolit. τόκος ἡμιεκατοσταῖος. cuius teſtimo-

ſtimonium extat in luculentiſſimo ſaxo Barcinonenſi.: DO. LEGO. DARIQVE. VOLO -X- VII. D. EX. QVORVM. VSVRIS. SEMISSIBVS. EDI. VOLO. QVODANNIS. SPECTAC. PVGILVM. DIE. IIII. IDVVM. IVNI. VSQVE. AT. X. CCL. ET. EADEM. DIE. EX. -X- CC. OLEVM. IN. THERMIS. PVBLIC. POPVLO. PRAEBERI. ET. TECTA. PRAESTARI. EA. CONDICIONE. VOLO. VT. LIBERTI. MEI. ITEM. LIBERTORVM. MEORVM. LIBERTARVMQVE. LIBERTI. QVOS. HONOR. SEVIRATVS. CONTIGERIT. AB. OMNIBVS. MVNERIBVS. SEVIRATVS. EXCVSATI. SINT. QVOT. SIQVIS. EORVM. AT. MVNERA. VOCITVS. FVERIT. TVM. EA. -X- VII. D. AT. REMP. TARRAC. TRANSFERRI. IVBEO. SVB. EADEM. FORMA. SPECTACVLORVM. QVOT. SS. EST. EDENDORVM. TARRACONE. Legatum denaria ſeptem, quingenti : vt tunc loquebantur: id eſt, denarium ſeptem millia, quingenti. Semiſſis vſura in duo membra ſciſſa : in CCL. & CC denarios. qui fiunt vna CCCCL denarii. quod verum eſt. Sed vir & probitate & doctrina inſignis Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, quum totum hoc ſaxum interpretaretur, non ſatis ſententiam aſſecutus videtur. Nam illa, quæ mediocriter Latine peritus intelligit, quam præpoſtere accipit! ET. TECTA. PRAESTARI. VOLO. Mens teſtatoris hæc eſt, vt hæc ſarta tecta & bona fide præſtentur ſub conditione propoſita, nempe excuſatione ſeuiratus. qua conditione deficiente, legatum ad Remp. Tarraconenſem transferri vult. At doctiſſimus vir intellexit, quaſi teſtator voluerit liberas ædes ſine mercede iis præſtari, qui ad panegyrin illam ſe conferrent. quæ certe magna

gna est hallucinatio. Minus assecutus est sententiam eorum: QVOS. HONOR. SEVIRATVS. CONTIGERIT. Ea inquam ne minimum quidem assecutus est. Horum enim sententia est: Ad quos ex ordine contigerit, vt Seuiri Augustales fiant, quia per orbem fiebant. Quos igitur contingebat ex ordine Seuiros Augustales fieri, illi hoc munus detrectare non poterant. Testator autem vult, vt, etiamsi ordo & successio eos vocet ad munus seuiratus, tamen eius muneris excusationem consequantur. Nam honorem quidem seuiratus eos recusare non vult, quoties ex successione ad illud vocabuntur, sed ab oneribus excusari. Sumptus enim magnos eos, qui seuiratu Augustalitatis fungerentur, sustinere testatur Kaput ex testamento M. Megonii, in quo testator Reipublicæ Petilinorum vineam suam legat, vt ex semissibus vsuris eius Augustales facilius onera functionis suæ sufferre possint. QVOD. IPSVM. AD. VTILITATEM. REIP. N. PERTINERE. EXISTIMAVI. FACILIVS. SVBITVRIS. ONVS. AVGVSTALITATIS. DVM. HOC. COMMODVM. ANTE. OCVLOS. HABENT. Asisii: P. DECIMIVS. P. L. EROS. MERVLA. MEDICVS. CLINICVS. CHIRVRGVS. OCVLARIVS. VI. VIR. HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REMP. DEDIT. HS. ∞ ∞. Videmus hic pro seuiratu collata HS M M. Illud vero leuiusculum videbitur, quod dicam; mihi vero prætereundum non videtur ob id, quod quum leuissimum sit, tanto viro ansam errandi dederit. In inscriptionis initio est ATLECTVS. AB. ANTE. quod est idem quod simpliciter *ante*. VT INANTE apud Propertium nihil aliud est, quam *ante*. Rauennæ saxum:

NEQVE.

NEQVE. AB. ANTE. ALIAM. PONAT. Id est προτοῦ. Aliter in inscriptione Romana: FVNDI. HVIVS. DOMINVS. INFANS. HIC. IACET. SIMILIS. DEO. HVNC. ABANTE. OCVLIS. PARENTIS. RAPVERVNT. NYMPHAE. Nam ibi est, quod Bibliis Græcis, & Nouo Testamento ἀπὸ ἐνώπιον. ἀπὸ προσώπου. Sunt & alia ab illo maximo viro aliud agente exposita, quæ libens omitto. Plinius autem lib. XIIII de vini generibus loquens vsuram semissem ciuilem, ac modicam vocat. Sed vetustissima videtur apud Atticos ἔφεκτος, siue sextantalis, quum obolus menstruus in minam datur. Nam ideo veteres Attici ὀβολοστάτην fœneratorem vocauerunt, quia prima vsura fuit ὀβολὸς ἔμμηνος εἰς μνᾶν. Aliud exemplum semissis vsuræ in saxo Ferentino: HIC. EX. S. C. FVNDOS. CEPONIAN. ET. ROIANVM. ET. MAMIAN. ET. PRATVM. EX. OSCO. AB. R. P. REDEM. LLS. LXX. M. N. Ɔ TINAVIT. R. P. REDDID. EX. QVORVM. REDDITV. DE. LLS. IV. M. CC. QVOD. ANNIS. VI. ID. MAI. DIE. NATAL. SVO. PERPET. DARETVR. PRAESENT. MVNICIP. ET. INCOL. ET. MVLIERIB. CRVSTVL. P. I. &c. Nam IIII. M. CC. LLS sunt manifesto semissis vsura LXX millium sestertium. In luculentissimo monimento, quod extat Bergomi in æde S. Benedicti. Ex vsuris legati HS C. N. Testator vult erogari -X- CCC inter præsentes: deinde inter propinquos -X- DCCL & tempore parentaliorum -X- CC. & in coronas -X- L. Summa denarii M CCC. Ad semisses vsuras desunt CC denarii. Nam HS C M. vel, quod idem est, -X- XXV. M. dant semissium vsurarum nomine -X- M D. Illud vero quis intelligit in eodem marmore? SCHOLAE. VEXILLARIOR.

LARGI-

LARGITVS. EST. LLS. XXXX. N. EX. CVIVS. SVMMAE. REDITV. QVODANNIS. DIE. SS NATALIS. EIVS. ANTE. STATVAM. LECTIST. EX. -X- CCL. PONANT. SPORT. -X- CCL. INTER. PRAESENT. SIBI. DIVID. Reditus, siue commodum, aut vsura HS. XL. MILL. id est Denariorum M ait esse CCL. & CCL -X- id est quingentos denarios. Atqui quingenti denarii est dimidium totius sortis. Quæ hæc est vsura? vt C dent L?

Τόκος ἐπόγδοος apud Demosthenem exponitur ab Harpocratione & Suida, quum tres oboli pro tetradrachmo fœneratori dantur. In Mina sunt tetradrachma XXV. proinde in minam redeunt fœneratori oboli LXXV, quod est ἐπόγδοον τῆς μνᾶς, octaua pars Minæ, quemadmodum triobolum est octaua pars tetradrachmi. Quod si vsura est menstrua, anno vertente fœnus æquatur drachmis CL. Est autem nauticum fœnus. Quare vna mina, quæ in sortem data erat, sesqui minam commodi lucrabitur. Ita pro vna mina, duæ cum semisse fœneratori restituentur, quum nauis ex negotiatione redierit. Sed non ita est. Nauticum fœnus erat diarium, non menstruum; item τὸ ἐπόγδοον in minam dabatur, non in τετράδραχμον. Itaque in singulas minas annui debebantur oboli M LXXX, quæ erant drachmæ CLXXX. Xenophon περὶ προσόδων 538, 43. ᾧ μὲν γὰρ ἂν δέκα μναῖ εἰσφορὰ γένηται, ὥσπερ ναυτικὸν σχεδὸν ἐπίπεμπτον αὐτῷ γίνεται τριώβολον τῆς ἡμέρας λαμβάνοντι. ᾧ δέ γε ἂν πέντε μναῖ, πλεῖον, ἢ ἐπίτριτον. Ex decem minis capientem triobolum diurnum ait lucrifacere quintam partem sortis. Et sane CLXXX drachmæ sunt quinta pars decem minarum, & præterea $\frac{4}{5}$ Sed verum non est, quod ait, easdem

easdem CLXXX drachmas esse plusquam tertiam partem quinque minarum. Hoc verum erat, si CLXXX esset plusquam tertia pars τῶν D.

Τόκος ἐπίτριτος. Trientale fœnus, duo oboli menstrui. Isæus κατὰ Καλλιφῶντος. ἑξακοσίαις δραχμαῖς ἐπιτρίταις: *sexcentis drachmis trientali fœnore occupatis*: quæ fiunt annuæ XXIIII drachmæ. Τρίτον ἑκατοστῆς in Iure Constantinopolitano.

Vsuræ bessalis, qui δίμοιρος τόκος in Iure Orientali dicitur, exemplũ habes l. XXVI. D. Mandati. τόκον ἑκάστης μνᾶς ἑκάστου μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας. quaterni oboli menstrui in minam. octeni denarii annui in minam.

Vsuræ dextantalis, qui potest dici τόκος ἐπιδέκατος, exemplum extat in lapide agri Bergomatis. M. CARBASVS. PATIENS. DEDIT. XXX. ET. PROFVNDI. DE. VSVRIS -X- III. QVOT. SI. IVVENTATES. EIVS. NEGLEXERINT. FILIO. EIVS. RETERE. DEBEBVNT. XXX. AVT. SIQVIS. HERES. FVERIT. Intelligere debemus triginta denaria, hoc est triginta millia denarium, quæ pariunt tria denaria, id est tria millia denarium. quod manifesto est fœnus dextantale. Nam quæ ratio est centum ad decem, eadem est triginta millium ad tria millia.

Vsuræ sesqualteræ, hoc est XVIII in c. Canon XVII. Nicenus vocat ἡμιολίας ἀπαιτεῖν. Item Canon IIII Laod.

In Collectaneis Gruterianis MXC. 21. QVI. HS. XII. REIPVBLICAE. IVLIENSIVM. QVOD. AD. HS XXXX. VSSVRIS. PERDVCERETVR. TESTAMENTO. RELIQVIT. Vult testator tandiu penes Remp. legatum consistere; quo ad ex vsuris, sors, quæ erat

XII ſeſtertia, perueniat ad XL ſeſtertia. Ponamus XII ſeſtertia vnciario fœnori locata. XII millia ſeſtertium ſunt III millia denarium: & XL millia ſeſtertium ſunt decem millia denariū. Ita Reſpublica hoc caſu lucrabitur VII millia denariū. Vſura vero annua centeſima duodecim millium ſeſtertium ſunt denarii CCCLX, qui in VII millia denarium diſtributi dabunt annos XIX, dies Iulianos CLXII. S. Tot annos & tot dies legatum manebit penes Rempublicam: & poſtea ad heredes redibit, aut ad quos teſtator id pertinere voluerit. Et hoc quidem in vnciario fœnore. Aliter dicendum, ſi aliæ vſuræ fuerint: quod & puero patet.

Apud Senecam de ira III cap. XXXV. mentio milleſimæ vſuræ, quæ eſt decima pars centeſimæ. hoc eſt χαλκοῖ δ $\frac{\delta}{\iota}$. In decem menſibus drachma.

In teſtamento Græco tabulæ marmoreæ, quæ extat Neapoli: ΧΕΙΛΙΑ. ΚΑΙ. ΔΙΑΚΟΣΙΑ. ΔΕΙΝΑΡΙΑ. MCC Denarii legantur, aut conſtituuntur in tutelam ſacrorum quorundam. Eorum MCC denariorum fœnus eſt ΔΕΙΝΑΡΙΑ. ΔΙΑΚΟΣΙΑ. ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ. CCL Denarii. quod immane fœnus eſt. Sunt enim χαλκοῖ annui deni in drachmam, ſiue denarium. Nam CCL denarii ſunt χαλκοῖ XII M. At ſors ſunt denarii MCC. Ergo deni æreoli, ſiue χαλκοῖ, pariunt denarium vnum. Propterea & χαλκῶν & χαλκολόγων, qui χαλκοῦς a debitoribus nomine vſuræ colligebant, mentio fit in eadem eleganti tabula: Τοὺς δὲ χαλκοὺς οἱ δεδανεισμένοι καταφερέτωσαν τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πανθεῶνος μηνὸς ἱσταμένου εἰς ἀγαῤῥιν πληθύουσαν.

Velleius ſcribit ſeſtertium ſepties millies depoſitum

ſitum à C. Cæſare ad ædem Opis occupatum ab Antonio. Idem Cicero non ſemel obiicit Antonio in Philippicis. Plutarchus ridicule eam ſummam interpretatur τετρακισχίλια τάλαντα in Antonio: Ἥ τε γυνὴ Καλπουρνία παραδοῦσα χρημάτων τὰ πλεῖστα κατέθετο πρὸς αὐτὸν ἐκ τῆς οἰκίας, εἰς λόγον τὰ σύμπαντα τετρακισχιλίων ταλάντων. In Cicerone dixit δισχιλίας πεντακοσίας μυριάδας. Prior ſumma ſunt 24000000 drachmæ, poſterior 25000000. Vtraque immane quantum ſeſtertium ſepties millies excedit, quæ ſunt tantum 17500000 drachmæ. hoc eſt: δισχίλια ἐννεακόσια ἐκκαίδεκα τάλαντα, μναῖ εἴκοσι: nempe Scutatorum Franciæ Solatorum milliones duo, millia quadringenta quinquaginta octo, trecenti triginta tres, cum triente.

Suetonius Caligula XXXVII, in fine: *Totumque illud Tiberii Cæſaris vicies ac ſepties millies* LLS *non toto vertente anno abſumpſit*. Sunt ſeſtertii 2700000000: denarii 675000000. hoc eſt ἑξηκονταεπτακισχίλιαι πεντακόσιαι μυριάδες. Milliones quinque, ſexcenta viginti quinque millia Scutatorum Franciæ Solatorum. vel πέντε μυριάδες μυριάδων, ἑπτακισχίλιαι, πεντακόσιαι. Apud Dionem LVIII: Πέντε γοῦν μυριάδας μυριάδων, καὶ πεντακοσίας καὶ πεντακισχιλίας, ὥς γ' ἕτεροι, ὀκτώ τε, καὶ δισχιλίας, καὶ πεντακοσίας τεθησαυρισμένας εὑρὼν οὐδὲ ἐς τὸ τρίτον ἔτος μέρος ἀπ' αὐτῶν τι διέσωσεν. Prior ſumma concordaret cum Suetonio, ſi pro πεντακισχιλίας legeretur ἑπτακισχιλίας. Idem error a nobis animaduerſus in Plutarchi Cæſare. vbi πεντακόσιαι πεντήκοντα perperam pro ἑπτακόσιαι πεντήκοντα excuſum eſt.

Martialis: *Amphora vigeſſi, modius datur ære quaterno.* id eſt, Amphora quinis ſeſtertiis, modius

 dius

dius ſingulo datur. Duo hic miramur. prius, quod quum poſſet dicere *aſſe quaterno*, maluit dicere *ære quaterno*, quum æs nunquam nummũ vnum ſignificet, ſed ſtipem & collectionem; neque poſſit dici *ære quaterno*, vt neque dicimus *pecunia quaterna*. Deinde, quod tanta vilitas annonæ fuerit, vt modius quaternis aſſibus, id eſt nummo ſeſtertio, daretur.

In Panegyrico Eugenii, de Mænianis Scholarum Auguſtodun. *Salarium me liberaliſſimi Principes ex huius Reip. viribus in* SEXCENTIS *millibus nummum accipere iuſſerunt: non quod non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo maiora tam prius, quam poſtea, præmia contulerunt: Sed vt* TRECENA *illa ſeſtertia, quæ ſacræ memoriæ magiſter acceperam, in honore priuati huius magiſterii addita pari ſorte geminarent.* Sexcenta ſeſtertia ſunt centum quinquaginta denarium millia. qui ſunt Solati ſolidi duodecim millia quingenti. An credemus ſtipendium magiſtri fuiſſe?

Herodotus libro III, 126, 127, numerans tributa, quæ a gentibus Dario pendebantur, totum regnum Perſarum εἰς νομοὺς κ' diuidit, in præfecturas XX. ex nouem & decem illis præfecturis, ſecundum dinumerationem eius, conſurgunt VII M. DC. quæ ipſe dicit eſſe IX M. D. XL. Rurſus ex CCCLX talentis ſcobis ſeu ramenti auri terdecies multiplicatis conſurgere Talenta argenti IIII M. DC. LXXX. quod verum eſt. quæ cum IX M DCXL compoſita fiunt XIIII M. CC XX Talenta argenti. Atqui ille dicit eſſe XIIII M. D. LX. Ita nihil prorſus certi ex eius rationibus elici poteſt. Nam fuerunt tantum talenta XII M. CC. LXXX (aureorum Solatorum 7368000.)

7368000.) In multis aliis deprehendimus illum hallucinari.

Domus Crassi viri Consularis empta est a Cicerone tricies quinquies sestertio. hoc est scutis Solatis Francicis 72916 $\frac{2}{3}$. Quæ profecto immanis summa est. Paulus Manutius Epistola VI. Cic. lib. V. exponit eam summam centum quinque scutatorum millibus. Quid habebat in animo Manutius, quum ea scriberet?

Ex vetusto Codice Bibliothecæ Budensis producit vir doctiss. Ioachimus Camerarius Matthæi XXI. Ἡ λίτρα ἔχει οὐγγίας ιβ΄. Ἑβραῖοι δὲ τὴν οὐγγίαν μερίζοντες ἄλλοις ὀνόμασιν αὐτὴν κεκλήκασιν. Τὸ γὰρ ἥμισυ τῆς οὐγγίας στατῆρα ἐκάλεσαν, διὰ τὸ ἐξ ἀμφοτέρως τοῦ ζυγοῦ τὰς πλάστιγγας ἰσοῤῥοπεῖν, τοῦ ἡμίσεως τῆς οὐγγίας ἐν ἑκατέραις τοῖς μέρεσιν ἐπιτιθεμένου. ὅθεν τῇ ἰσοῤῥοπίᾳ τοῦ κανόνος, κατὰ τὴν τοῦ ζυγοῦ ἰσότητα, Στατὴρ ἐπεκλήθη. ἔχει δὲ ὁ στατὴρ ἥμισυ τῆς οὐγγίας, σίκλους δύο. Πάλιν δὲ τὸ Σίκλον, ὅ ἐστιν ἥμισυ τοῦ στατῆρος, τέταρτον τῆς οὐγγίας, ἔχει λεπτὰ κ΄. τὸ δὲ λεπτὸν * ὁλκῆς μιᾶς ἐστὶ δέκατον, ὄγδοον τῆς οὐγκίας. παρά ποσι δὲ καὶ ὀβολὸς καλεῖται. ἐδίδου δέ τις δύο ὀβολοὺς, καὶ ἐλάμβανεν ἄρτον, ἢ ἕτερόν τι πρὸς διατροφήν. Διὸ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ ναῷ, οἱ κερματισταὶ ἐκαθίζοντο, οἱ καλούμενοι κολλυβισταὶ, ὧν κατέστρεψεν ὁ Κύριος τὰς τραπέζας, οἵτινες τὸ κληθὲν νόμισμα παρὰ τοῖς βασιλεῦσιν (ἀργύρεος δὲ καλούμενος διὰ τὸ ἐξ ἀργυρίου τότε τετύφθαι εἰκόνα ἔχων βασιλικὴν) μέγα μὲν εἶναι τῷ χαράγματι καὶ τῇ ὁλκῇ, ὃ ἐκλήθη ἀργυροῦς, ὥστε ἔχειν αὐτὸν δηνάρια ς΄, ἕκαστον δὲ δηνάριον ἔχειν ἀσσάρια ζ [ξ΄] τὸ δὲ ἀποφερόμενον ἀργύρεον, καὶ μὴ δυνάμενον ἀγοράζειν ἄρτον ἢ λάχανον, ἤ τι τῶν βραχυτέρων, διδόναι τῷ κολλυβιστῇ τὸ μέγα ἀργύριον, καὶ ἀναλύειν αὐτὸ εἰς βραχύτητα [βραχύτατα] ἤτοι δηνάρια καὶ ἀσσάρια, κερματίζειν αὐτὸ, τοῦτ᾽ ἔστι κολλυβίζειν. ὅθεν

καὶ κερματισαὶ καὶ κολλυβισαὶ κέκληνται οἱ τραπεζῖται.

Exagium. Inde *ſaggio* pro minuta moneta, cuius Polus Venetus & alii Itinerarii libri meminerunt.

Gloſſæ: Ὀρφανικοὶ τόκοι. ἀπὸ ἑκατοστῆς τρίτης. Vſuræ pupillares. puto obolos VIII menſtruos. Compoſitus eſt enim hic τόκος ἐκ τόκου ἐπιτρίτου, καὶ τόκου ἑκατοστῆς.

Velleius de C. Curione: *Hic primo pro Pompeii partibus, id eſt, vt tunc habebatur, pro Republica, mox ſimulatione contra Pompeium & Cæſarem, ſed animo pro Cæſare ſtetit. Id gratis; an accepto centies HS fecerit, vt accepimus, in medio relinquimus.* At Valerius Maximus lib. IX, cap. I, ſectione VI *ſexcenties ſeſtertium*, non *centies*. Quin etiam turbat Seruius VI. Æneïd. VENDIDIT HIC AVRO PATRIAM. *Etiam*, inquit, *hæc licet generaliter dicantur, habent tamen ſpecialitatem. Nam Laſthenes Olynthum Philippo vendidit: Curio Cæſari viginti ſeptem millibus ſeſtertiis Romam.* Locus perplexus. vnde extricare me non poſſum.

Heautontimorumeno Act. III. Scena III. *Huic drachmarum hæc argenti mille dederat mutuum.* Infra: *Poſt d aturum mille nummum.*

Denarius vetus Romanus fuit fere LXXX ſpeltarum, quot vetus Drachma Attica, quam Solon quadrante imminuit. Compara cum Tetradrachmis T. Liuii.

Paracharax imum apud Caſſianum legitur, adiectiuum, (vt *Paracharaximum numiſma.*) pro quo Ciacconius legit *paracharachmum*, collat. I. cap. XX. XXI. XXII. *paracharaximum numiſma.* At Ciacconius *paracharagmon*; & *paracharagmis.* male. παραχαραγμὸς eſt adulteratio monetæ, nō autem

tem moneta falſa. Legitur apud Origenem Homil. III. in Leuit. & Homil. III. in Pſalm. XXXVI, *Pecunia extra monetam formata*. hoc eſt, ἔξω τοῦ ἀργυροκοπείου κεχαραγμένη. At Ciacconius putat in Græco fuiſſe παράχαραγμα. Non intellexit, quid ſit *Moneta*. Præterea nummus poteſt cudi extra monetam bonus, & non παρακεχαραγμένος. Moneta tria ſignificat: τὸ ἀργυροκοπεῖον, vt hic. Τὸ χάραγμα Iuuenali. Hieronym. ad Miner. & Alexandrum: *Vt ſi quis nummus adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur*. exemplar Plinio lib. 33. cap. 9: *Falſiq́ denarii ſpectatur exemplar*. Tertio eſt nummus ipſe.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM
INDEX.

Bes χὺ,

Δόδρα

E.

F.

G.

H.

I.

K.

Κίνσον

N.

ſ notat

T.

FINIS.

WILEBRORDI SNELLII R.F. DE

RE NVMMARIA

Liber singularis.

autoris dam nati si cum exp. permissi

Castellon

2

EX OFFICINA PLANTINIANA
RAPHELENGII,
M. D. CXIII.

Clarißimo Conſultißimoq́ue viro,

HVGONI GROTIO,

Hollandiæ & Zelandiæ

FISCI ADVOCATO.

MVTVA *rerum commercia neceſsitas in humanam ſocietatem initiò quidem introduxit, eandem vtilitas deinde frequentauit. Nam primitus agricolæ, paſtores, venatores, aucupes, piſcatores, mellificatores, arboratores, reliquique etiam opifices commutabant ea quibus opus non eſſet, vt acciperet aliunde quæ ſibi deeſſent: apud quos permutationis huius cõmoditate & dulcedine delinitos, tandem etiam mercaturæ vſus inualuit, merciumq́ue inexplebilis ſatietas eorum animos inuaſit. Veruntamen cùm in ſimplicißimâ illâ rerũ permutatione pretiorum ſæpè maxima inæqualitas valdè importuna, & quaſi aſſidua τῆς ἀλλαγῆς, vt Ari-*

stoteli placuit, interpellatrix instaret: tandem huius controuersiæ nummus sequester datus. καὶ διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. Hic enim, quemadmodum apud Geometras passus, pes, palmus, digitus, pro communi omnium promercalium mensurâ vsurpari aptus, res omnes ad symmetriam & æqualitatem reuocauit: ideoque ex hypothesi & hominum arbitrio pondere, quantitate, & magnitudine definitus. Unde siclorum apud Hebræos, drachmarum apud Græcos, denariorum & assium dupondiorúmque apud Latinos vsurpatio pro pecuniâ & pondere promiscuè frequentata. Verumenimuerò cùm intempestiuum sæpè esset metalli cuiusque pondus ad libram momentaneâ examinare, ac multis difficultatibus obseptã & intricatam metalli puritatem, in auro & argento maximè scrutari, aut Lydii lapidis indicio indagare, quæ vel versatissimum hominem decipere queat, alieno metallo intus admixto, omnem pensitandi laborem, & examinandi periculum charactere aliquo publicâ autoritate impresso declinauerunt. Et metallum

exilitate

exilitate sua ἐν μεταχείρισιν certâ notâ bonitatis & ponderis teste indubitato, tanquam sigillo, publicâ autoritate communiuerunt. Vt hæc cura meritissimò in Reipublicæ & Principis solius potestatem concesserit: neque cuiquam priuato eâ abutendi facultas data sit. Ideóque Principum edictis diligentissimè cautum, ne iis, qui monetam publicam fusim cusimve assimulassent, id impune esset, tanquam publicorum sigillorum falsariis, quíque pro vero & sincero adulterinū supponerent. Nummi certè autoritas & inuentio hominum generi tam grata accidit, vt ab omnibus clementiore cœlo & solo natis, etiam à barbaris, apud quos saltem vlla rerum mutua extarent commercia, auidissimè vsurpata & strictissimè sit obseruata. Cæterùm quia antiquæ monetæ notitia haud exiguam lucem veterum scriptorum monumentis afferat, vt ob crebram mentionem non vtilis solùm, sed propemodum necessaria videatur; res hæc maximo studio nostrâ & patrū memoriâ à præstantibus viris suscitata, & in lucem est reuocata: quorum in-

dustria bonarum literarum studiosis adeò grata acceptáque fuit, ut post summos viros Budæum & Agricolam non tamen abstinuerint manum Iurisconsultorum ferè doctissimus quisque, Alciatus, Carolus Molinæus, Hotomannus, Didacus Couarruuias, aliq. præterea quam plurimi, qui vel ab iis dicta suo ordine modóque digerere, vel noui ipsi aliquid afferre conati sunt. Ut planè frustra meus hic labor videri possit, si ipsorum accurata diligentia nostræ sedulitati nihil fecerit reliquum. Neque enim inficiari possumus omnes ferè summâ cum laude & industriâ in hoc labore versatos, etsi alius alio felicius. Nequaquam tamen propterea desperandum arbitror, quasi non aliquam saltem partem reliquerint intactam. Dum enim multa dicere, & quam plurima vno ambitu complecti conantur, ipsi sibimet non rarò obloquuntur. Et certè in materiâ tam vbere, ista non scribentium solùm autoritate examinanda, sed etiam nummorum veterum momentis fuere comprobanda: quorum consensu mutuo, tanquam incorruptissimo testimonio,

omnis

omnis veritas certissimè confirmetur. Atque adeò si quando ab illorum sententiâ abeo diuersus, abeo autem non semel, maximè hoc prædictum velim, euidentissimis argumentis & ipsâ veritate victum me in illam sententiam desciuisse. Huius autem iudicium lectori attento potiùs committam, quàm vt ea sigillatim prædicando gloriolam aliquam inde affectare videar. Neque enim id me siuerit meus pudor. Certè equidem satis superq. me assecutum putabo, si hinc vel aliqua saltem vtilitas ad beneuolum lectorem redundabit. Et quamuis plura in medium protulerim quàm hactenus quisquam, non nulla tamen adhuc suppressi, in quibus ipsi mihi necdum satisfacere potui, quæ tamen aliquando (vt spes est) in apertam lucem proferam, si laborem hunc nostrum non ingratũ fuisse sensero. Ad te autem, vir Consultissime, βιβλίδιον hoc, tanquam ad iudicem suum mittitur. [redacted]

quæ inter has primum olim tenebant locum, quarum rudes à limine suæ Academiæ arcebat Plato, quemnam alium fuerat æquius me huius rei capere arbitrum, quàm eum qui horum iudex æquissimus iuxta & peritissimus esse posset? Et sanè, quamuis omnes artes communi quodam vinculo inter se contineantur, nescio tamen quodnam arctius vinculum patria ipsa & vrbium sociarum, inter quas Delphi & Oudewatera, antiquissimũ fœdus animo meo iniiciat. Cùm enim Tibi tuísque maioribus patria Delphi, mihi quidem natale solùm Leyda, ab auorum autem attauis Veteraquino sim oriundus, fœdere illo, quod à maioribus olim nostris publicitus initum, etiam posteri tenemur. Quamobrem si in hoc exiguo, sed intricato hactenus opere alicubi impegisse, aut humanitus lapsus tibi videbor, à te reprehendi summi beneficii loco ducam, vt tanquam sociæ vrbi laboranti subuenias. sin verò vel omni tibi hæc nostra probari intellexero, maximum me operæ & industriæ meæ pretium consecutum putabo.

WILE-

WILEBORDI SNELLII DE RE NVMMARIA LIBER VNICVS.

NVMISMATVM priscorum rationem summatim & breuiter hic referre constitui: vnde veteris monetæ valorē cum cuiusq. seculi & loci æstimatione contendendi ratio semper esset in promptu; atque ita scriptoribus priscis aliquam facem allucerem. Neque verò id eâ fine, vt aliis suum honorem eam præreptum: sed potius vt illis, si quid ab ipsis veritati congruenter dictum sit, suam existimationem sartam tectam præstarem: si quid à nobis accuratius inuestigatum, id publicæ vtilitati ne inuiderem. E numismatum igitur generibus Romana maximè & Græca explicare constitui. Pecunia è triplici metallo triplex ferè in vsu fuit, cuius primus autor ignoratur, vetustissima mentio in sacris Gen. cap. 33. commate 15 proposita videtur, vbi Abrahamus agrum ab Ephrone ad sepulturam vxoris emit: ita tamen vt dubium sit argentumne illud signatum etiam, an tantum ad pondus expensum fuerit. certè Abrahamus non numerasse, sed Ephroni appendisse dicitur quadringētos siclos. Et filii Iacobi patriarchæ Geneseos capite 43 commate 21. aiunt Iosepho se referre pecuniam secundum pondus suum. Sed ad Romanam rempublicam me confero. Seruius Rex

a primus

primus signauit æs, antea rudi vsos Romæ Remeus tradit. Signatum est notâ pecudum, vnde & pecunia appellata: vel certè quoniam id solum veteres possederunt, & vnum hoc diuitiarum genus ab iis vsurpatum sit, siquidem omnis pecuniæ pecus fundamentum, vt Varro & Columella testantur.

Nummi fuere dupondius, assis, sembella, triens, quadrans, sextans, vncia, sextula, omnes ærei.

Nummus Græca dictio est, vel potius Sicula. Varro, nummi, id à Siculis. Cui sententiæ Pollux lib. 9. cap. 6. subscribit, & autorem laudat Aristotelem. Nummus, inquit, Latinum nomen videtur, sed Græcum reuerá est, τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Δωριέων Doriensum Italiam & Siciliam incolentium. Vox Epicharmo poetæ in chytris comœdia vsurpata. Aristoteles scriptum reliquit in Tarentinorum republicâ numisma quoddam νοῦμμον vocari, in quo Tarenti Neptuni filii delphino inuecti esset imago expressa. huiusmodi nummum æreum pondere granorum 124. habui, cui parte vnâ impressa effigies virinudi delphino insidentis, sub delphini corpore quasi pila aut sphærula: in ora literis Græcis ΤΑΡΑΝΤΙ. notis fugacibus, sed tamen qui ab attẽto facile legerentur: parte alterá itidem vir nudus sedens, manu, vt videbatur super aram extensâ, ita obscurè vt reliqua coniectare non potuerim, cuius discriptionem hîc propterea exhibui, vt Pollucis locus ille clarius intelligatur. Sunt itaque νόμισμα & νοῦμμος à νόμος lege & consuetudine dicta. Quare ineptè Suidas ex Suetonio citat nummum à Numa nomen traxisse, quod is primus æs & ferrum Romanis pro pecuniâ signauerit,

uerit, quam sententiam Isidorus libri 16. cap. 17. quoque sequitur.

Assis, vel potius as ab ære, quasi æs. Varro, as & eius partes ærei erant. & Dyonysius Halicarnesseus libro 9 ἦν δὲ ἀσσάριον, χάλκεον νόμισμα, βάρος λιτραῖον. Item Plinius, Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur & dupondius appendebatur assis. nam libram pondo as dicebant. Hinc æra militum, tribuni ærarii, ærarium; & obærati ab ære dicti. Indidem graue æs, & æris grauis pœna dicta. Liuius decadis primæ libro quinto de A. Virginii & Q. Pomponii tribb. plebis pessimo exemplo, innoxii inquit decem millibus grauis æris damnati sunt: graue æs inquam, quia tum assis librali pondere. millia autem æris, semper assium intelligenda. Exemplum non ignobile extat apud eundem libro 4, cum anno vrbis 349, hoc est ante natiuitatem domini annis 402, senatus primum decreuisset, vt miles stipendium de publico acciperet, tributo plebi indicto, idque inuitis & reluctantibus tribb. pleb. Patres, inquit, bene cœptam rem perseueranter tueri: conferre ipsi primi, & quia nondum argentū signatum erat, æs graue plaustris quidā ad ærarium conuehentes, speciosam etiam collationem faciebant. Æs quoque stipem dicebant: nam quod asses libræ pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arcâ ponebant, sed in aliquâ cellâ stipabant, id est componebant, quo minus loci occuparet, à stipando stipem dicere cœperunt. Tale illud Suetonii in Augusto cap. 91. Ex nocturno visu stipem quotannis die certo emendicabat à populo, cauam manum asses porrigentibus præbens. hinc stipen-

Millia æris, assium.

dium à stipe appensâ, quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicuntur, & expensa in rationibus, item impendia & dependere. Romani enim ita ære graui initio vsi sunt, quemadmodum Lacedæmonii ex Lycurgi instituto numismate ferreo, grauis ponderis, verùm exigui valoris, βαρυσάθμῳ καὶ δυσπαρακομίστῳ, καὶ ἀπὸ πολλοῦ τινὸς πλήθους καὶ ὄγκου, μικρὰν τινὰ ἀξίαν δυναμένῳ, inquit in Lysandri vita Plutarchus, quod aceto candens restinguebant, vt ita mollius, & ad opera foret inhabile. Byzantinos etiam nummo ferreo vsos Pollux ait. Libræ autē pondus assium æris imminutum bello Punico primo, cum impensis Respub. non sufficeret, constitutumque vt asses sextantario pondere ferirentur. ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum. Postea Annibale vrgente Q. Fabio Maximo Verrucoso dictatore (anno vrbis 545, ante natiuitatem salutiferam annis 206) asses vnciales, mox lege Papyriana semunciales facti. adi Pliniū, & Festum. Nota æris fuit initio ex alterâ parte Ianus geminus, ex alterâ rostrum nauis. quæ tamen cum pondere postmodum pro signantis arbitrio, & quorum ea cura, fuit variata. Assium namque pondus exinde quoque imminutum non tam libris, quām nummis autoribus cōprobare in promptu fuerit. Certè assem, qui lege Papyriana semuncialis fuit, postmodum vnciæ quadrante expensum, confirmat experientia. Itaque tum dupondiarii nummi, qui duorum assium pondus habuere, semunciales signati sunt. principio quidem accuratè, vt ad amussim dicto ponderi responderent: postmodum verò non ita strictim ad legis præscriptum: nam & ab il-

Asses vnciales Anno V.C. 545.

ab illo pondere aliquid paulatim detractū. Enimuerò cum vncia Romana, vnciæ nostrati in aurificum officinis vulgò vsitatæ pondere par fuerit, ista autem habeat anglicos viginti, (ita vocant vnciæ partem vicesimam;) anglicique singuli grana duo & triginta: efficitur granorum summa in vncia 640, *asen* nostro idiomate vulgò vocamus. Huius vnciæ semissis 320 grana, assium singulorum pondus à Papyrio constitutum. Postmodum verò istius ponderis dimidium 160 assi attributum: quo autore, aut quando cœptum, omnino non liquet: quod si tamen aliquis coniecturæ locus relinquatur: non alienum fuerit credere dupondiorum assiumque pondus ad vnciæ semisses quadrantesque tum demum contractum, cùm sestertii ex ære primulū signari cœpere, ne necesse esset hos duarum vnciarum pondere institui, quia tum valebant asses quatuor. Huiusmodi asses cōplures sub Imperatoribus signatos vidimus, sed ita maligne percussos, vt dictum 160 granorum pondus neutiquam explerent. tales enim habuimus 126, 122, 110 granorum: à Domitiano quoque granorum 102, exesum, cum inscriptione græca, Δομιτιανὸς καῖσαρ: parte alterâ μητρόπολις. reliqua legere nequibam. Neque verò hanc granorum λεπτολογίαν ad minutum vsque ideò consector, quod magni momenti ad pretii indicaturam ea existimem: nam à Vespasiano vidi 107 granorum cum inscriptione hác ab vnâ parte *Imp. Cæs. Vespasianus Aug. cos. III.* parte alterâ, iustitia manu dextra bilancem tenens, infra S.C. in orâ *æquitas Augusti*: sed ideo tam accuratè ista pensito, vt saltem rudi modo eius pondus quodammodo circumscribam: erit enim

Vncia pondo. grana 640. Semuncia grana 320. Vnciæ quadrans grana 160.

huius vſus nobis infra, cum de ſeſtertio diſputabimus, quibus verò argumentis adductus nullâ veterum autoritate ſubnixus aſſem pondere quadrantis vnciæ definiam, infra in dupondio planius ediſſeram. Cæterùm & hoc notandum, aſſes ex ære deteriore multo ſignari ſolitos, quam dupondios ſeſtertiosque. id enim Plinius libri 34 capite 2. nominatim annotauit. Aurichalcum (inquit) ob præcipuam bonitatem admirationem diu obtinuit. Nec reperitur longo iam tempore effœta tellure. Proximum bonitate fuit Salluſtianum in Ceutronum alpino tractu, non longi & ipſum æui. Succeſſit & Liuianum in Gallia. Vtrumque à metallorum dominis appellatum, illud ab amico diui Auguſti, hoc à coniuge, velocis defectus. Liuianum quoque admodum exiguum inuenitur, ſummâ gloriâ nunc in Marianum conuerſâ, quod & Cordubenſe dicitur. Hoc à Liuiano cadmiam maxime ſorbet, & aurichalci bonitatem imitatur in ſeſtertiis dupondiariisque, Cyprio aſſibus ſuis contento. Hactenus ille. in Cypro enim primâ æris inuentio, reperto autem deinde in aliis terris præſtantiore, maximè aurichalco, illud vilius fuit. Vnum hoc addo. Cadmiam lapidem ærosum eſſe, quod ab ære in fornacibus conflato (rubrum hodie vocitamus) tam auidè ſorbetur, vt maſſa æris duo & ſeptuaginta librarũ, huius lapidis mixturâ centenaria euadat. Verum enimuerò quia ab hoc aſſe æreo Romani omne integrum (quod quidem in duodecim partes tributum intelligi vellent) as appellauere, vt libram, hereditatem, aut aliud etiam quiduis; operæ pretium mihi facturus videor, ſi huius partes, & partium particulas, ex

Varrone,

Varrone, Plinio, Herone, Columellâ Volusio Metiano vnico conspectu hîc ob oculos ponam.

as	$\frac{12}{12}$	sunt vnciæ	12	semis	$\frac{1}{2}$	sunt vnciæ	6
deunx	$\frac{11}{12}$		11	quincûx	$\frac{5}{12}$		5
dextans	$\frac{5}{6}$		10	triens	$\frac{1}{3}$		4
dodrans	$\frac{3}{4}$		9	quadrãs	$\frac{1}{4}$		3
bes	$\frac{2}{3}$		8	sextans	$\frac{1}{6}$		2
septunx	$\frac{7}{12}$		7	vncia	$\frac{1}{12}$		1

semuncia	est pars vnciæ	$\frac{1}{2}$	& pars assis	$\frac{1}{24}$
duella		$\frac{1}{3}$		$\frac{1}{36}$
sicilicus		$\frac{1}{4}$		$\frac{1}{48}$
sextula		$\frac{1}{6}$		$\frac{1}{72}$
scrupulum		$\frac{1}{24}$		$\frac{1}{288}$
dimidium scrupulum		$\frac{1}{48}$		$\frac{1}{576}$

Volusio simplium

Sembella, quod sit libellæ dimidium, quod semis assis; eadem semissis, quasi semi æs, inquit Varro. Itaque ex Papyrianâ analogiâ debuit æquauisse pondus quadrantis vnciæ, quæ sunt grana 160. posteaquam verò asses dimidio leuiores signati sunt, & hic nummus, quoque dimidio pondere percussus est, granorum duntaxat 80. Talem à Tiberio vidi pendentem grana 64. sed situ iam leuiorem, alterum ab Othone satis integrum pro ætate, granorum 66, cum inscriptione hác *Imp. Otho cæsar Aug. tr. p.* circum Othonis caput, parte aduersa copia cornu, in ora *Pont. Max.* his tantum decesserat vt vtrumque ab initio pondere non longè infra 80 grana institutum dignosceres. Nota semissis Volusio Metiano est. S. vidi sembellam antiquissimam pendentem paulo amplius semunciâ;

munciâ, itaque ante legem à Papyrio latam percussam, cùm asses adhuc essent vnciales, habentem parte vnâ caput virile barbâ horridum, à vertice notam S. parte auersâ rostrum nauis, supra iterum S. infra *Roma*. nummus planè legitimus, ad legem Q. Fabii Maximi signatus. hoc propterea nominatim monere visum est, quia rarissimè huiusmodi nummi videndi potestas datur.

Triens, tertia pars assis, & sexta vnciæ. ideoq. si Papyrii legem sequimur, 107 granorum, vt proximè, postmodum verò pro ratâ parte vt cæteri omnes nummi mutilatû nullus dubito. vidi enim ab Hadriano percussum cum inscriptione istiusmodi *Hadrianus aug. cos.* III. *p. p.* parte alterâ *Prouidentia*, pendentem grana 47, cum debuisset 53.

Quadrans, antea triuncis vocatus à tribus vnciis, inquit Plinius, & Varro, teruncius valet sembellæ dimidium. notam quo initio signaretur expressit Plinius: nota æris, inquit, ex alterâ parte Ianus Geminus, ex alterâ rostrum nauis, in triente & quadrante ratis. Inde quadrans à ratis signo impresso ratitus dictus fuit, quemadmodum Festus Tarquitio & Oppio Aurelio autoribus docet. Marci duodecimo de viduæ liberalitate ἡ χήρα ἡ πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. pondus autem ex Papyrianâ assium semuncialium analogiâ fuit granorum 80. postmodum 40. talem vidi posterioris seculi granorum 32, habentem parte vnâ caput galeatum, cum inscriptione nullâ, parte alterâ duos puellos lupam sugentes, in ora *Roma*.

Sextans, sexta pars assis, vnciæ $\frac{1}{12}$. sextantis pecuniæ mentionem facit Plinius lib. 35 cap. 10. Nam quod Populus Romanus Agrippæ Menenio sextan-

tes æris in funus contulit, honoris id necessitatisque propter paupertatem Agrippæ, non largitionis esse dixerim. Liuius lib. 29. anno vrbis 550 de M. Liuio censore, qui inde Salinator appellatus. vectigal etiam nouũ ex salaria annona statuerũt, sextante sal & Romæ & per totam Italiam erat. Romæ pretio eodem, pluris in foris & conciliabulis, & alio alibi pretio præbendum locauerunt. fuit itaque lege Papyrianâ granorum 53. postmodum vero 26 tantum.

Vncia, vox Sicula est. Pollux lib. 9. cap. 6. ἀλλὰ μέν τοι παρ᾽ αὐτῷ τις ἂν ἐν τῇ ἱμεραίων πολιτείᾳ, καὶ ἄλλα εὕροι Σικελῶν ὀνόματα, οἷον, οὐγγίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα. cæterum apud eundem (Aristotelem) in Himereorum Republica, alia quoque inuenias nomina Siculis vsitata; vt vnciam, quæ valet obolum æratum vnum, is Græcis chalcus dicitur. Est autem vncia pars assis duodecima, itaq. granorum 26 vt proximè. vidi posterioris seculi, iisdem notis cum superiore illo quadrante, pondere 16 granorum. Vnciariæ stipis Plinius meminit lib. 34. cap. 5. Extra portam trigeminam vnciariâ stipe collatâ. *Vncia. nummo 9. grana 16.*

Sextula. Varro: denique æris minima pars sextula, quod sexta pars vnciæ. videlicet illo seculo cum asses essent librales.

Dupondius, à duobus ponderibus, quod vnum pondus as, vel assipondium vocabatur. nam as libræ pondere erat ab initio. Itaque duo asses duarum librarum pondere: vnde & dupondius dictus. sed cum postmodum asses semunciales facti sint lege Papyrianâ, dupondii quoque vnciales fuere; quamdiu autem, mihi quidem non liquet. Postmodum certè dupondios quoq. semunciales percussos, *Asses semunciales. Dupondij vnciales. Dupondij semunciales*

ſos, nummos autores dabo. Vidi vnum à Nerone integerrimum ex quo vix quidquam deceſsiſſe arbitrari poſsis,& qui antiquitatem ſpiraret, non ſignorum impreſſorum ſculpturâ ſolum & formâ, verum ipſa quoque materiâ aurichalci æmulá. inſcriptio circum caput imperatoris, vallari (vt videtur) coronâ redimitum, ita erat. *Nero Claud. Cæſar aug. Germ. tr. p. imp. p.* Parte aduerſa victoriæ effigies, vtrimque à latere S. C. literis maiuſculis, ſignificans nummum hunc ſenatus conſulto percuſſum. hos enim duos characteres fere in omnibus nummis æreis videre eſt. in ora autem *victoria Auguſti*, infra victoriæ pedes numeralis hæc nota II. quam dupondii veterem notam ſignificare nemini dubium eſſe poteſt, qui ſeſtertium, qui ab initio quoque valebat duos aſſes cum ſemiſſe, tum ita propterea notatum II. s. ex Voluſio, cæteriſq. didicerit. Hic prædictus Neronis dupondius pendebat duntaxat grana 252, itaque vnciæ ſemiſsi longè cedebat. Vidi alium à Iulia percuſſum, qui planè ſemuncialis eſſet, granorum 320, omninò tanquam ad id præſcriptum factus. A Tiberio quoque cum iſtâc inſcriptione *Ti. Claudius Cæſar Aug. P. m. tr. p. im. p.* cum effigie muliebri, parte auerſa caput muliebre eximia venuſtate, matronalem modeſtiam præ ſe ferens, infra *pietas*. trahebat pondus granorum 254. Ab Auguſto item vnum, cum hâc inſcriptione, *Diuus Auguſtus*, vtrimque à capite S. C. parte auerſa *conſenſu ſenatus & eq. ordin. p. q. r.* is pendebat grana 318. Sunt alii præterea complures, ſed hos ad inſtitutum ſufficere arbitramur. Hæc autem non propterea ita penſiculatim examino, tanquam in granis

II. Dupondij ...
+ ... 320.

granis æris 10, 20, aut 30 hic rem nummariam vacillare arbitrer: sed vt planum fit dupondios, qui lege Papyrianâ vnciales primum fuerant, ipsis nummis in rem præsentem adductis, postmodum ad vnciæ semissem redactos. Nam etsi rari semunciali pondere ita accuratè tanquam ad minutum signati extent: nobis tamen satis fuerit, commonstrauisse hos nummos, saltem sub Imperatoribus, quorum nobis tantum facta est copia, ita prӕter propter signari solitos. His enim vestigiis sestertiorum æreorum valorem & pondus infra suo loco in lucem eruam. Constat prӕterea, nos ex hâc analogiâ assium pondus vnciæ quadrante, semissum parte octauâ, atque ita porrò reliquas assis partes vero & legittimo pondere definiuisse. sed dupondiorum aliquot conspectum & pondus hic subiiciam.

Dupondii semunciales.

parte vnâ	parte alterâ	grana
Iulia. C *reliqua non poteram legere.*	*tres fœminæ sacrificantes*	320
Diuus Augustus *vtrimque.* S. C.	Consensu senat. & eq. ordin. P. q. R. *sedens in sella perrectâ manu ramum tenens*	318
Imp. Ti. Claudius cæsar aug. P. m. im. p.	*Caput muliebre demisso secundum tempora & genas sipario. infra* Pietas	254
Ti. cæsar Diui Augusti f. augustus imp. VIII.	Pontif. maxim. tribun. potest. XXIII. *in medio maximis literis* S. C. *situ aliquantum imminutus.*	233
Imp. Nero Claud. cæsar aug. ger. p. m. tr. p.	*Victoria alata; circum* Augusti victoria: *infra pedes* II. *nota dupondii.*	252
Imp. cæs. Vespasianus cos. III	*Iustitia bilancem manu tenens, in orâ* æquitas Augusti *infra* S. C.	170
Vespasianus aug. cos. III *reliqua legere nō potui.*	*Nota fugientes*	260

Imp.

Imp. cæſ. Veſpaſianus aug. Coſ.	*Victoria Coronam manu exſerta tenens: in ora* Roma, *infra S. C.*	297
Imp. cæſ. Traiano optimo aug. Ger. dac. P. m. Tr. p.	*Columna cui ſtatua impoſita. Circum* Senatus populusque Romanus. *infra S. C.*	310
Diua Fauſtina. *in honorẽ Fauſtinæ iam defunctæ ab Antonino percuſſus.*	Æternitas. *S C*	251

Inſcriptionem integrè ita leges, vt in nummo quinto, Imperator Nero Claudius Cæſar Auguſtus, Germanicus, pontifex maximus, tribunitiæ poteſtatis. atque in cæteris conſimiliter. quod hic ſemel monuiſſe ſufficiat.

Argentea numismata.

Atque hæc quidem de dupondio, deque aſſe æreo & eius partibus dicta ſunto. Sequitur numiſma argenteũ. Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum vſus eſt. Q. Fabio Pictore conſule, quinque annos ante primum bellum Punicum, hoc eſt, vt ex Liuio conſtat, anno vrbis 484, ante quam Deus hominem induit annis 267.

Denarius, quinarius, qui & victoriatus, ſeſtertius fuere ex argento: ſed & ſeſtertius quoque poſtmodum ex ære.

Denarius. Varro: in argento nummi denarii, quod denos æris valebant: quinarii, quod quinos: ſeſtertius, quod ſemiſtertius. Et, nummi denarii, decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parua. Itaque denarius olim decuma libella à valore appellatus: poſtea etiam libella argenti. Plautus Pſeudolo, ſiquidem hercule etiam ſupremi promptas theſauros Iouis, Tibi libellam argenti nunquam credam. & rurſum in eadem comœ-

comœdiæ absolute posuit libellam. Sed tu bone vir flagitare sæpè clamore in foro, cum libella nusquam est. Cicero Verrina 4: Et quis Volcatio, si sua sponte venisset, vnam libellam dedisset? Et pro Q. Roscio Comœdo, ait ad libellam sibi deberi, tanquam ne vnus quidem denarius à postulata summa abesse posit. quod pro Quintio per denarium extulit. inquit enim: decidis statuisque tu, quid iis ad denarium solueretur. Omnium verò scriptorum consensu denarium pro decem assibus datum liquido constat. Festus, deni asses, singuli pondo libras efficiebant denarium, ab hoc ipso dictum. Plinius, argentum signatum est anno vrbis 585 (lege ex Liuio 484) & placuit denarius pro decem libris æris, quinarius pro quinque, sestertius pro dupondio & semisse. Plutarchus in vita Camilli, δηνάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύρεον, καὶ δεκάχαλκον ὄντας ἐκαλεῖτο δηνάριον, assis enim erat pecunia, & decussis vocabatur denarius. Nota denarii initio quidem bigæ & quadrigæ cum charactere x, & inde bigati quadrigatiq. dicti, inquit Plinius, quorum mentio apud Liuiũ frequentissima. Tacitus de moribus veterum Germanorũ sub initium quoq. serratos huc annumerat, qualem fuisse puto denarium infra in catalogo tertium, vel saltem septimũ. Postmodum tamen denarii nota pro signantis arbitrio variata, vt Romulus & Remus lupam sugentes, vel Sabinarum raptus, Ianus biceps, Virgo Vestalis, aliæque; quandoque etiam triumuiri, prætoris, consulis, & postea plerumque imperatoris effigies. Vnde illud Christi, cùm Pharisæi quærerẽt, an ipsis Cæsari tributum esset pendendum; Exhibete mihi, inquit, numisma census: quibus denarium afferentibus,

Denarius pro decem libris æris.

tibus, quæsiuit, cuius imagine & titulo signatus esset: ipsis rursus Cæsaris imagine &, titulo notatum dicentibus: respondit, date igitur Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ Dei. Cæterum pondus omnium æquale fuisse Plinius autor est lib. 6 c. 12, vbi de Annii Plocami, qui maris rubri vectigal à fisco redemerat, liberto loquitur. Is aquilonibus in Taprobanem vsque abreptus, ad regem deductus est, qui mirum in modum Romanorum iustitiam suspexit, quod pares pondere denarii essent in captiua pecunia, cum diuersæ imagines indicarent à pluribus factos. quod vt verum fuerit de nummis illius & superioris ætatis, sub posterioribus certè imperatoribus multum prisco ponderi decessit. Verùm quî res hæc clarius liqueat, rem ipsam paulo altius repetam, & nummos auctores dabo. Denarius fuit libræ Romanæ quarta & octogesima pars, tot enim ex eâ signabatur, quemadmodum Plinius libro 33 capite 9 scripsit. Miscuit, inquit, denario triumuir Antonius ferrum. miscuit æri. Alii è pondere subtrahunt, cum sit iustum LXXXIIII è libris signari. hanc eandẽ sententiã disertis verbis, Cornelius Celsus libri 5. cap. 17 confirmauit. Sed & antea (inquit) sciri volo, in vnciâ pondus denariorum septem esse. idemque à Scribonio Largo, qui Tiberii ætate vixit comprobatur. Sic illi. à quibus Isidorus libri 16 capite 14 longe abit diuersus: cui drachma octaua pars vnciæ est, & denarii pondus argenti. Hæc tam pugnantia ætas & consuetudo facile conciliabunt. Sed vt clarius denarii argentei ratio omnibus liqueat, & quasi ante oculos versetur, quemadmodum singulorum pondera expenderim plane explicabo,

Denarius septima pars vnciæ, et quarta octogesima libræ.

plicabo, vt cuique arbitratu suo iudicandi potestatem faciam. Romanos sane libras singulas in duodenas vncias partiri solitos iam diximus: vnciæ autem singulæ ab aurificibus nostris in vicenas partes dispescuntur, quos illi anglicos vocant; anglici porrò singuli in tricenas binas partes alias subdiuiduntur, quæ grana (à frumenti granorum pondere) dicunt. vt vnciæ singulæ grana 640 pendant: & libra Romana vnciarum duodecim grana 7680. Quamobrem si vncia Romana habuerit denarios octo, libra habebit denarios 96, denariiq. singuli appensi æquabuntur granis 80. Atqui verò si cum Celso, Scribonio, Plinioque vnciæ tribuas denarios septem, singulorum pondus fuerit 91 granorum, vt proxime. Id verum sit, an secus libet experiri, proposito tanquam in tabella, pondere aliquot denariorum integerrimorum iuxta & vetustissimorum, ex argento purissimo, quorum vberem copiam instructissimæ Cnotterorum, & aliorum amicorum arculæ mihi suppeditauerunt. atq. illos quidem, quantum omnibus signis coniicere poteram, legittimos. Signatura igitur, & pondus, in quo argenti bonitas quoque in rationem venit, huiusmodi erant.

libra. vncia. anglici. grana. vncia 640 g. libra 7680 g. [illegible] 4. Denarius granis. 80. 80. Denarius granis. 91.

parte vnâ.	parte aduersâ.	pondus granorum
Caput incomptum, barba impexa & horrida. à vertice Sabini. *nummus certè per quam antiquus.*	L. Tituri *duarum Sabinarum raptus.*	86.
Alius eodem argumento, & ante os Sabini, nota iam fugitiua.	*Sed, quod facile nosceris non eodē tempore percussus.*	75.

Caput muliebre caprina pelle tectum cornibus retrorsum auersis, cum his literis S. C. *in orâ crebris crenis, tanquam serra, incisus.* | L. **Proculi filia.** *mulier bigis inuecta.* 84

Mulier alata, quæ victoria est, quadrigis inuecta, supra equorum capita hic numerus, CXVIII. *infra pedes equorum nota fugientes. nummus integerrimus.* | *Caput humanum, cui à vertice tridens, credo Neptunum esse, sine inscriptione.* 80

Bigæ. supra equos stella tres, infra pedes Tanaquil. *& sub hoc lineolâ interiectâ* Roma. | *Effigies fœminæ, capite coronato. sub mento eius* X. *antiqua denarii nota.* 71

Ianus bifrons cum literarum notis, quas colligere non poteram. | *Nescio quid nummus integer & bonus.* 73

Quadrigæ, sed literarum charactere refugo, vt sub equorum pedibus istas literas duntaxat noscitare potuerim N.C. F. | *Caput humanum, nescio quo, serrato circulo supra verticem inflexo pone verticem* Roma *infra mentum* X. *denarii nota.* 76

Caput virginis, circum Q. Cacar. Vest. | *Nescio quid.* 72

Caput virile Q. Sicinius III vir | C. Codonius pr. S C. 72

Caput Mercurii cum petaso & pinnulis, oculis clausis, à vertice Roma. *nummus cui vix quidquam decessisse diceres.* | *Quadriga; supra caput equorum corolla, victoria alata palmæ ramum dextra tenens curru inuehitur. infra* M. Tull. *Ciceronis est.* 76

Boues iunctos agit bubulcus, infra imp. cæsar. | *Signum absque inscriptione.* 73

Caput humanum. à vertice Pansa. *erat & alter pari pondere & signaturâ.* | *Quadriga, subtus* C. Vibius C *nescio an eadem bonitate argenti cum cæteris.* 82

Capricorni signum cum statua humana vtrimque infra cæsares *in ora* august. f. *reliqua non capiebã.* | Aug. f. Augustus. p. p. 79

Augustus

Auguſtus.	Pontif maxim. *Iuppiter ſedens cum fulmine & ſcipione.*	77
M. Durmius III vir honor.	Auguſtus Cæſar. *elephanti duo currum trahentes.*	80
Ti. Cæſar diui aug. f. auguſt.	Pontif. maxim. *Iuppiter ſedens cum fulmine & ſcipione.*	70
Equus è carceribus emiſſus infra Auguſt.	Auguſti diui F.	78
Imperator Cæſ. Veſpaſianus aug.	Iudæa. *Iudæa mulier plorans.*	75
Imp. Traiano. aug. ger. dac. p. m. tr. p. Coſ. VI. p. p.	S.P.Q.R. optimo principi. *vir quaſi ſedens ad vmbilicum nudato pectore, rotam ſiniſtrâ, ramum dextrâ tenens, infra* via Traiana.	63
Eadem ſignatura fugiente literâ.	S. P. Q. R. optimo principi. *columna impoſita ſtatua.*	60
Vir manu tenens lucernam.	S.P.Q.R. optimo principi. *multo ære mixtus.*	69
Imp. Antoninus Pius aug. *effoſſus anno* 1600 *prope Baſileam.*	.... Coſ. III. p.p. *cui ſitu non parum deceſſerat.*	48
Alius quoque.		68
Diuus Marcianus P. aug.	Victoria Auguſti *infra* Con. ob. *id eſt, Conſtantinopoli obſignatum.*	41

Iſtos duntaxat è maximo cumulo delegiſſe ſufficiat. Ex quibus liquidò conſtat denarii pondus 80 grana (modò duos, Sabinarum raptum, & L. Proculi filiam, qui ſunt primus & tertius, excipias) non excedere. Hi autem ſi veri ſunt, certe legittimos fuiſſe mihi perſuaſiſſimum eſt, cumque argenti bonitate nulli nummo cederent, & illum Sabinarum raptu notatum quatuor aut quinque granis detri-

b tum

rum res ipsa loqueretur, equidem eos ita ab initio, isto pondere instituros censendum, vt pondus 91 $\frac{1}{2}$ granorum explerent. E reliquis porrò nullus ad id pondus assurgit: ita enim omnes à Cicerone, Augusto, cæterisque signatos intra septuaginta & octoginta grana coërceri videmus: neque istos solum, quorum titulos & pondera annotauimus: verùm alios quoque quamplurimos, quorum descriptionem hîc consultò omisimus: vt ex eorũ analogiâ planum sit à 91, aut 92 ad 80 grana paulatim, quasi per gradus iustum denarii pondus esse contractum. Atque ideò cùm ex libra initio quatuor & octoginta denarii 91 $\frac{1}{2}$ granorum signarentur: postmodum sex & nonaginta pondere granorum 80 signari cœperunt. Vtrum verò libra Romana centenaria quoque euaserit, vt centum denarii senatus consulto ex eo signati sint, nullo autore confirmari potest. quamuis enim denarii pōdus etiam sub consulibus ad 77 grana & infra accisum sit, vt inde expeditum sit colligere centum denarios tales è librâ signari potuisse: malim tamen expressis Plinii verbis, quàm obscuris & incertis coniecturis fidem habere, vt potiùs iniuriam reipublicæ factã, tantùmque à iusto pondere subtractum existimem. Verùm ne hîc quidem auaritia sibi modum fecit: cùm vix ad Traiani tempora ea ratio certa tecta permanserit. Tres enim nummi illi ipso imperante signati $\frac{1}{5}$, hoc est 16 granis facile à iusto 80 granorum pondere deficiunt. Et rursum Imperii sede Constantinopolim tralatâ quinta altera denarii ponderi detractâ, vt vix $\frac{3}{5}$ denarii Romani antiqui, quales Sullæ, Ciceronis & Cæsaris ætate signabantur, æquiparet. Posterioribus enim seculis,

culis, venali iam imperio, ob militum rapinas, & Principum donationes, argenti æstimatio, & haud dubiè quoque auri multum excreuit, vt tum denarii argenti 144, pondere granorum 53 è singulis libris signatos sit verisimile; quo tempore primum aurei solidi 72 Principum constitutionibus libram impleuerunt: ita enim ferè aureus nummus argentei fuit pondere duplus. quod isto æuo experientiâ comprobatur. Et hæc quidem de pondere sufficiant. Superest vt denarium cum partibus suis paulo accuratiùs contendamus. Quemadmodum enim denarius asses decem, ita quinarius quinque, sestertius duos asses cum semisse initio valuit: dupondius enim & sembella antiquis sestertius est, inquit Varro. Rectè antiquis, non sua ætate; id enim obtinuit duntaxat ab anno vrbis 484, quo primum argentum signari cœpit, ad annum vrbis 545: postea namque denarius, quinarius, & sestertius pluribus assibus commutabantur. quod ex Vitruuio, Plinio, & Volusio Metiano constat. Q. Fabio Maximo dictatore asses vnciales facti, placuitque denarium XVI assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis, inquit Plinius lib. 33. cap. 3. Et Vitruuius lib. 3 cap. 1. Nostri autem primò decem fecerunt antiquum numerum, & in denario denos æreos asses constituerunt, & eâ re compositio nummi ad hodiernum diem denarii nomen retinet: etiamque quartam eius partem, quod efficiebatur ex duobus assibus & tertio semisse, sestertium vocitauerunt. & paulò post. ita efficitur vti habeat pes sedecim digitos, & totidem asses æreos denarius. Denique Metianus, denarius primò decem asses valebat, vnde &

nomen traxit, & paulò post: Nunc denarius sedecim, victoriatus & quinarius octo, sestertius quatuor asses valet. Omnes igitur isti vno ore denarium sedecim assibus commutant. sub Augusto, Vitruuius: sub Vespasiano, Plinius: sub Antonino Pio, Metianus. Vt planè frustra sint, qui nobis denarium sub exitum Augusti duodecim assibus commutare conantur: idque vnico aliquo Taciti loco è primo Annalium permoti: sed qui ad hanc rem nihil faciat. Nam quod ita rationem putant, cùm illic miles seditionem moliens queratur decem in diem assibus animam & corpus æstimari, proque eo denarios singulos postulet: menstruum porrò militis fuisse aureum Romanum, quinque & viginti denariûm: hosque per 30 dies diuisos facere $\frac{25}{30}$, hoc est, reductis terminis $\frac{10}{12}$ vnius denarii, stipendium militis diurnum, qui sint, vt ipsi queruntur, asses decem: atque inde effici denarium tum 12 assibus permutatum, ratione omnino caret. Neque enim vmquam probabunt aureum Romanum, illa tempestate, militis menstruum fuisse. Quin cōtra statuo milites limitaneos minus aureo cepisse: sed quasi denarios viginti, aut præter propter. Eius rei è Polybio, Suetonio & Tacito symbolas colligam. E Polybio, menstruum militis sua ætate fuisse denarii partem tertiam: id nos libro sexto docet his verbis, ὀψώνιον δ' οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολοὺς, οἱ δὲ ταξίαρχοι διπλοῦν, οἱ δ' ἱππεῖς δραχμήν. Pedites stipendium in diem accipiunt obolos duos, ductores ordinum duplum, equites drachmam. E Suetonio, stipendium militibus duplicatum: hoc de Iulio Cæsare prodidit capite 26, Legionibus stipendium in perpetuum dupli-

duplicauit. idque iam ante bellorum ciuilium tumultus: credibile interim per bella ciuilia, vel ipso, vel Octauio imperante militum stipẽdiis non nihil commodi accessisse: sed Octauius illis periculis iam defunctus, quicquid vbique militum esset, ad certam stipendiorum, præmiorumque formulam adstrinxit: inquit idem cap. 49. hoc est, vt ego interpretor, legem Iuliam de duplicato militum stipendio reuocauit: excepta cohorte prætoriâ, quibus binos denarios in diem assignauit. Hoc è Tacito, militumque querelis clarum est. Vt itaque prima nouissimis conferamus: Polybio militis diurnum est pars denarii tertia, hoc est, si denarium intelligas decussisexim, (vt Vitruuius loquitur) asses quinque cum triente: duplicauit stipendium deinde Iulius: fuere ergo asses decem cum gemino triente, qui sunt $\frac{2}{3}$ denarii; atque ita euidens est $\frac{2}{3}$ denarii tricies sumptas, hoc est, denarios viginti militis menstruum fuisse. nam bini in diem denarii prætorianorum diurnum, faciunt 60 denarios in mensem, triplum peditis limitanei: quâ in re eorum stipendium equitum stipendiis exæquatum constat. Itaque 20 denarii, eius numeri pars tertia est militis diurnum. quòd verò 10 asses solidos tantum numerent, gemino triente neglecto, id vel ὑποκοριστικῶς ad inuidiam augendam dictum arbitror; vel verè quidem, sed vt duo trientes è militis diurno ita deducti sint, vt pro eo frumentum acciperet: quod maximo illorum commodo factum constat. Denique verò etiam vt denarium decussisexim comprobem dupondiarios sestertiosque nummos huc aduoco: Quos ab omnibus Imperatoribus ita signatos experientia

 docet,

docet, vt sestertius ad dupondium eiusdē temporis sit quasi duplus. Quare dubium amplius esse non potest, quin à Iulio vsque denarius decussisexis, hoc est, assium fuerit senûm denûm. De ætate superiore saltem dubios nos Polybius facit: qui secundo historiarum de Gallia togata scribens, tantam rerum omnium vilitatem prædicat, vt pro cœna reliquisque necessariis, tantum dimidius assis expendatur, quem ait valere oboli partem quartam. verba ista sunt, ἡμιασσαρίου, τοῦτο δ' ἐστὶ τέταρτον μέρος ὀβολοῦ. quare assis vnus fuerit oboli dimidium (nam oboli Attici sex denarium efficiunt) & asses duodecim denarium implebunt. Autor diligentissimus, Romanæ consuetudinis haud ignarus, & Africani Iunioris qui Carthaginem funditus deleuit præceptor. cur ei, de suâ ætate potissimum scribendi tam disertis verbis, non credam, causæ nihil habeo: optârim tamen hoc idem aliorum exemplis comprobatum, vel certè illustratum. neque enim constat quando, aut quo primùm autore id factum sit, nisi diuinare libeat id tum institutum, quando Populus Romanus tributum pendere desiit, Antiocho deuicto: vt tum æris pretium, ob argenti uberem copiam, paulum excreuerit. Ego quidem adhuc ἐπέχω, donec certiora ex aliis scriptoribus, aut nummis autoribus proferantur.

Quinarius, etiam Victoriatus. Volusius Metianus: Est autem Victoriatus semis denarii, & nunc tantundem valet, quantum olim quinarius. Varro libro nono de linguâ Latinâ, quam rationem, inquit, duo ad vnum habent, eandem habent 20 ad 10: In numeris, in similibus, sic est ad vnum victoriatum denarius, sicut ad alterum victoria-

tum

tum alter denarius. Nominis originationem docet Plinius libri 33. capite 3. verba adscripsi. Qui nunc Victoriatus appellatur lege Clodia percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus, merciũ loco habebatur. Est autem signatus Victoriâ, & inde nomen. Itaq. Victoriatus à Victoriæ signo dictus. Huius nummi Cicero meminit pro Fõteio. Triturium, inquit, Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse, Crodimi Porcium & Numium ternos victoriatos. Liuius quoque libro 41 de C. Claudii triumpho rebus in Histria Liguribusque prosperè gestis. Tulit in eo triumpho denariũm 30700, & Victoriatũm 85702. Ex argento purissimo vnum vidi, eumque integerrimum, quem ad me misit vir nobilis Nicolaus Rockox, antiquitatis studiosissimus, & nummorum veterum æstimator solertissimus, pendentem grana quatuor & quadraginta; pondere legittimo: id enim ad dimidium iusti denarii pondus quamproximè accedit. Inscriptio & nota vtrimque talis erat. parte vnâ caput Mercurii cum petaso & pinnulis, pone verticem V, nota quinarii seu Victoriati, autore Metiano. Partẽ alterã duõ equites hastati citatis equis inuecti. infra pedẽs *Roma*. Aliõs plures videre licet in illâ nummorum diuite arcâ, vnde hunc ipsum deprompsimus.

Sestertius, quasi semissis tertius, vt in lege duodecim tabularum pes sestertius, sunt pedes duo & semis: quâ analogiâ veteres Latini trientem tertium dixere. id enim significare ait Cincius mystagogicõn libro secundo, duas libras pondo & trientem. neq. aliter Græci: Pollux libri

 9 ca-

9 capite 6. ἀρχαῖα γὰρ ἡ χρῆσις καὶ ἡ τοῦ, πέμπτον ἡμιτάλαντον, ἕβδομον ἡμιτάλαντον, & addit τὸν πρὸ αὐτοῦ ἀριθμὸν, ὁλόκληρον εἶναι δεῖ, oportet numerum antecedentem integrum ſumas. ita tum erunt quinque talenta cum ſemiſſe, quando πέμπτον ἡμιτάλαντον dicunt, non quinq. talentorũ ſemiſſes. eſt itaq. ſeſtertius dictus, quaſi ſemiſſis tertius: dupondius enim & ſembella antiquis ſeſtertius eſt, inquit Varro. Poſtea quaternis ſeſtertiis commutatum Vitruuio, Plinio, Voluſioq. autoribus dictum eſt. Ex argento fuiſſe Varro, Pliniusque docent: qualem ſe aliquando vidiſſe vir nobilis Nicolaus Rockoxius mihi teſtatus eſt. eius pondus itaque quaſi granorum 22. Poſtmodum tamen ex ære, ſed optimo ſignatum, Plinius conceptis verbis libri 34 capite 4 teſtatum reliquit. Summa, inquit, æris gloria nunc in Marcianum conuerſa, quod & Cordubenſe dicitur: Hoc à Liuiano cadmiam maximè ſorbet, & aurichalci bonitatem imitatur in ſeſtertiis dupondiariisq;, Cyprio aſſibus ſuis contento. Huiuſmodi hodieque quam plurimi circumferuntur: ſunt enim ærei illi maximi, vnciali fere pondere aut paulò infra. Subiiciam inſcriptiones aliquot, cum pondere.

parte vnâ	parte alterâ	grana
C. Cæſar dict. perpetuò.	*Signa aliquot & notæ, vt videntur, hieroglyphica.*	389
Ti. Claudius Cæſar p.m. tr. p. imp. p.p.	Antonia Auguſta.	385
Ti. Claudius Cæſar aug. p.m. tr. p. imp p.p.	*Caballus ſupra fornicem poſitus, à latere vtrimque* S. C. *in ora* Nero Claudius Druſus German. imp.	569

Ti. Cæ-

Ti. Cæsar Augusti F. imperator.	*Duæ victoriolæ super columnas positæ, laureas manibus tenentes, & mutuò se aspectantes: infra* Rom. & Aug.	614
C. Cæsar aug. Germanicus ..... tr. pot.	*Tres sorores eius, gestantes cornu copiæ.* Agrippina Drúsilla Iulia *infra S.C. adi Sueton. in Caligula cap. 24.*	450
Nero Claud. Cæsar Aug. Germ. p. m. tr. p. imp. p. p.	*Virguncula victoriolam dextra manu gestãs. vtrimque S.C. infra* Roma.	510
Nero Claud. Cæsar aug. Ger. p. m. tr. p. imp. p. p.	Annona Augusti Ceres, *infra S. C.*	440
Imp. Otho Cæsar Aug. tri. pot.	*Signiferi tres imperatori sacramentum dicunt in ora* Securitas P.R. *infra S.C.*	515
Imp. Cæs. aug p m. tr. p. p. p. cos. VIII.	*Iudæus stans, Iudæa sedens sub palmâ & patriæ vastitatem deplorantes in ora* Iudæa capta.	424
Imp. Cæs. Vespas. aug. p. m. tr. p. p. p. cos. III.	*Miles armatus, vtrimque S. C.*	476
Imp. Cæs. Vespas. aug. p m tr. p. p. p. cos. III.	*Mulier manu tenens nescio quid. S. C.*	496
Hadrianus aug. cos. III. p. p.	*Pons quinque fornicibus, substructus, cum statuis quatuor S. C.*	614
Diua Faustina. *ab Aurelio Ant. in honorẽ defunctæ coniugis percussus: post apotheosin enim demum Diui appellatio.*	*Iunonis effigies, à latere S.C. ante pedes pauo, infra* Iuno.	595

Sufficiat è tantâ copiá pauculos hósce proposuisse, quorum exemplo commonstrem æreos sestertios vnciales fuisse. Nám vt vt pondere, vel ab eodem principe, vario signati sint: illud interim planum fit, semper ad vnciarium pondus quo-

dammodo aſpiraſſe, vt Tiberii tres 385, 569 614 granorum. Neronis item duo 440, 510. Veſpaſiani tres 424, 476, 496. Hadriani duo 596, 614. vt quaſi per interualla ad iuſtum pondus recurſum ſit. Seſtertius igitur ita inſtitutus eſt, vt pondere & valore dupondii eſſet duplus. Comparato namque dupondium Neronis 252 granorum, cum eiuſdem ſeſtertiis 440, 510. Itemque Tiberii dupondium 254, cum ſeſtertiis eiuſdem 385, 569, 614. Et Veſpaſiani dupondios 176, 260, cum ſeſtertiis 424, 476, 496. Cæteroſque itidem inter ſe, illud planè liquebit ſeſtertios dupondiorum duplos vt proximè, nunquam autem ſeſquialteros, quod ſatis argumenti arbitror ſeſtertium duobus dupondiis, hoc eſt quaternis aſſibus, ſaltem ſub Imperatoribus commutatum. Neque enim neceſſe eſt hîc, quemadmodum in auro, pondera ad minimas quaſque particulas congruere. Quamobrem, ſeſtertii vnciales, dupondii ſemunciales, & aſſes quadrantales ſunto: illud enim pondus grauiſſimi quique circa hæc tempora percuſſi implent: ſi quo minus pendant, id ex iuſto ponderè ſubtractum, tot nummorum argumento facilè intelligitur. Dupondium namque & aſſem eo, quem ſupra definiuimus pondere percuſſos expreſſim in elegantiſſimo illo Cleopatræ fragméto, apud Galenum de ponderibus & menſuris legitur. ὁ στατὴρ ἄγει δραχμὰς δ', καλοῦσι δὲ αὐτὸν τετράδραχμον, καὶ τὸ διπόνδιον δὲ ὁμοίως ἄγει δραχμὰς δ', ſtater pendet drachmas quatuor, quem tetradrachmum vocant: & dupondius itidem quoque drachmas quatuor. Et rurſum, ἀσσάριον ἔχει δραχμὰς β', aſſis habet drachmas duas. Atque initio:

καλεῖται

καλεῖται δὲ ὀγκία τετράσσαρον ἰταλικὸν, vocantur autem vncia quatuor asses Italici. Nihil potuit dici illustrius, ita signate vtriusque pondus nobis expresit. quia enim senatusconsulto tum ita signarentur, eorum quoque pondus ad medicum vsum transiit, vt denariorum & drachmarum. Nota sestertii apud Metianum & Priscianum hæc est H. S. Nam cum initio sestertius valeret libras duas & semis, eius numeri notam ex vsu notarum recepto expresserunt hoc modo II. S. quæ tandem consuetudine scribentium in illam formulam degenerauit. Cæterùm vbicunque apud veteres de monetâ Romanâ nummum absque vllâ aliâ adiectione leges, semper de sestertio nũmo intelligas.

Sestertium autem genere neutro non monetam, sed pecuniæ summam significat, quæ mille sestertios, vel ducentos & quinquaginta denarios valuerit: hoc est libram auri Romanam & semis. Id è Verrinâ tertiâ planum fiet, vbi orator ait ex portationibus Verris, socios publicanorũ sestertia sexaginta perdidisse, ex vicesimâ portorii Syracusis: vnde concludit paucnlis mensibus furta prætoris, quæ essent sestertium duodecies ex vno oppido exportata esse. Publicanorum enim societas ex portorio capiebat partem vicesimam, quâ Verres illos fraudabat, quòd has merces immunes tanquam prætorias exportaret. Valuit igitur mercium ipsarum æstimatio & pretium, eius summæ vigecuplum, hoc est sestertia 1200, quam eandem summam Cicero taxat sestertiũ duodecies, Latina & veteri locutione, id est, enuntiatione plenâ, sestertiis nummis duodecies centenis millibus. Quamobrem cùm 1200 sestertia valeant 1260000 sestertios, singula

sestertia

sestertia mille sestertiis nummis æquiparantur. Argumentum alterum ex comparatione locorum Taciti & Plinii Secundi in medium afferam. Quod enim Plinius Secundus epistolâ vltimâ libri quinti ait, Nepotem Prætorem aduocationes venire & emi edicto cauisse. Peractis tamẽ negotiis permisisse pecuniam decem millium dare: videlicet decem millia sestertium; id Tacitus vndecimo Annalium dena sestertia dixit: inquit enim de Caio Principe: Capiendis pecuniis posuit modum, vsque ad dena sestertia. Eandem summam patrono tribuit Vlpianus digest. lib. 50 titulo 13 paragrapho 12, de variis & extraordinariis cognitionibus. Licita autem quantitas, inquit, intelligitur pro singulis causis vsque ad centum aureos. sed centum aurei sunt bis mille & quingenti denarii vel 10000 sestertii, quemadmodum in aureo Romano statim ostendemus. Quare singula sestertia, valent mille nummûm sestertiûm. quod hic demonstrare constitueram.

E Romano numismate aureum adhuc superest. *Nummus Aureus post 62 annum percussus est quam argenteus, anno vrbis 546.*

Aureus Romanus fuit 25 denariûm.

Huius veritas mihi non diu quærenda fuit, Vlpiani illam legem cum superiorum Principum edictis comparanti: liquidò enim inde constat 100 aureos 10000 nummûm æquari: itaque 100 sestertios, hoc est 25 denarios cum singulis aureis paria facere. Verùm & aliunde quoque huius sententiæ stabiliendæ argumenta conquiram. In largitione Othonis paratum est nobis exemplum. Nam quod Suetonius in Othone cap. 4. dixit, Otho-

Othonem aureos excubanti cohorti viritim diuisisse, & Plutarchus χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων, illud Tacitus libro 17 annalium per sestertios hoc modo expressit, vt quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos diuideret. quamobrem aureus vnus nummos sestertios 100 valuit. Ecce & aliud ex eodem: Suetonius Domitiano, Addidit, inquit, & quartum stipendium militi; aureis ternis: id est, aureis illis ternis, quos ante sub Imperatoribus capiebant menstruum stipendium, Domitianus quartum adiecit. Zonaras eandem liberalitatem per drachmas extulit. Militibus (inquit) stipendium auxit, fortasse ob victoriam. cùm enim singulis septuagenæ quinæ drachmæ soluerentur, centenas dari iussit. Ergo drachmæ, hoc est, vt paulò post patebit, denarii septuaginta quinque faciunt aureos tres, & viginti quinque singulos. Romani autem aurei pondus quale ab initio institutum, & quemadmodum deinceps imminutum, solus penè veterum nobis definiuit Plinius, si rectè legatur, libri 33 capite 3. Aureus nummus post annum LXII percussus est quàm argenteus, ita vt scrupulum valeret sestertiis vicenis, quod efficit in libras ratione sestertiorum qui tunc erant, sestertios DCCCC. Post hæc placuit XLM signari ex auri libris: paulatimque principes imminuere pondus, minutissimus verò ad XLVM. Non dubium est quin locus hic corruptissimè legatur, quemque alii aliter restituant. Ego verò eum hoc modo legendum satis euidentibus argumentis ostendam. Aureus nummus post annum LXII percussus est quàm argenteus, ita vt scrupulum valeret sestertiis vicenis,

vicenis, quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant sestertiûm VM. DCCLX. post hæc placuit XLII signari ex auri libris: paulatimque principes imminuere pondus, minutissimus verò ad XLV. Rationem nostræ lectionis sigillatim explicabo. Cùm enim ita signatè auri taxationem vicenûm sestertiûm in singula scrupula proponat, scrupulum verò vnciæ pars sit vicesima quarta, vel libræ 288, nihil causæ video, cur non audacter pro 900, reponam sestertium VM. DCCLX. significat enim auri æstimationem Romæ illo seculo ad argentum fuisse septendecuplam, quæ sua ætate iam minor esset. siquidem quatuor sestertii denarium, quatuor & octoginta denarii libram efficiant: diuisis itaque 5760 sestertiis per 336, quotus erit $17\frac{1}{7}$. valuitque tunc aureus vnus amplius denariis quatuor & triginta, qui postmodum denariis quinque & viginti commutatus est. Secundo pro XLM, reponendum censeo XLII. lapsus enim librarii facilis fuit, pro II scribentis M. Cur autem XLII legendum arbitrer, Plinius ipse causam nobis dicet. Nam cùm è librâ octoginta quatuor denarios signari iustum esset, vt supra docuimus, aureumque duorum denariorum pondere signatum satis constet: certè dubium nulli esse potest, quin XLII hoc loco sit reponendum. Erroris huius similitudo tertium quoq. traxit. Cùm enim è XLII fecissent XLM, non potuit aliter fieri, quàm vt pro XLV reponerent XLVM. Neminē arbitror ita pertinacē, qui in hanc sententiā non sponte suâ concedat. adeò enim clara sunt omnia, & veritati consentanea, vt dubitare & ambigere amplius non liceat. Quamobrem aurei Romani iustum

pondus

pondus facilè his vestigiis eruemus. diuisis enim integræ libræ granis 7680, per 42 aureorum numerum, dabitur singulorum legitimum pondus quasi granorum 182. cùm primùm tot è libra signati sint. sed quemadmodum argenti iustum pondus paulatim accisum; ita quoque auri legitimo pondere per fraudem imminuto, tandem senatusconsulto ita constitutum, vt quinque & quadraginta è singulis libris signarentur. itaque tum pondus aurei iustum fuit granorum 170. Huius subobscura quædam vestigia in nummis antiquis supersunt. Nam cùm vix reperias nummum aureum aliquem nullo alieno metallo adulteratum, vnde auaritia signantium non 2 aut etiam 3 grana succiderit: prætetea tam diuturni temporis vsus totidem aut plura etiam detriuerit: inuenias tamen nihilominus nummos legittimos ab Augusto signatos, qui 163 granorum pondus impleant: à Tiberio 161. His si sex illa grana, quæ partim auaritia, partim vsu decessere, adiicias, vides vt proximè dictum illud pondus expleri. Sed aureorum aliquot pondera, & quo autore signati sint, hîc deinceps subiicere constitui. Si illud priùs testatus fuero, omnes hos nummos quorum pondera absque titulis propono, ex arculis & lectissima veterum nummorum gaza Nobilissimi viri Nicolai Rockoxii depromptos, qui pro suo erga rem literariam affectu, nostrâ gratiâ singulorum pondera ita expendit.

	grana		grana
August.	163	Claudii	160
Tiberii	161	Neronis	158
Drusi Germanici	160	Domitiani	158

Ex

Ex his planum est Principum auaritiâ, vel temporis iniquitate paulatim nummariam rem accisam. quamuis negare non ausim aureos eiusdem principis non semper eodem pondere signatos. Vidi aureum Augusti vix mille passibus à Lugduno Batauorũ è terra erutum, anno 1599, loco Roomburch nomen hodieque est, tanquam Romæopurgum dicas. fuit illic olim Romanorum armamentarium quoddam & simul Batauicæ iuuentutis ἀσκητήριον, credo ne omnino militaris disciplinæ rudes ad Romana signa venirent. Cumque solum illud supra subiectos agros extaret, vt agri pascui circumiacentes hâc terrâ meliores fierent, complanatus est, prout quisque partem eius aliquam sibi à fisco redemerat. inde nummus hic, quem dico, erutus est, ita purus & asper, tanquam recens signatus ex officina prodiisset: parte vnâ habebat Augusti effigiem expressam, hâc circum oram inscriptione *sar Augustus*, ita vt cætera marginem non cœpisse, facilè nosceres: quemadmodum in Hispaniæ regum nummis quibusdam hodieque vsu venire videmus. Parte alterâ Iouis effigiem in sellâ cum fulmine & scipione sedentis, apposito circum oram titulo *Iuppiter*. is, vt videbatur integerrimus, pendebat exactè tantum grana 153 vt vsu & malignitate signantium non parum ei detractum agnoscas. Hoc ipso pondere, aut non multò minore aliquot nummi anno 1607 etiam aliorum principum in Flandria inuenti sunt, prope Alestum in pago Mospelar, hic dum cultores agri altius moliuntur terram, olla ænea mille veteribus aureis nummis referta, inuenta est. ex eo numero isti sunt.

Mutidia

	grana		grana
Mutidiæ	153	*Faustinæ*	151
Sabinæ, quæ vxor Neronis	150	*Faustinæ*	152
Hadriani	151	*L. Veri*	150
L. Ælii	149	*Lucillæ*	152
Antonini Pii	150	*Commodi*	150
Marci Aurelii	150		

Omnes ita integri, vt è nummaria officina tum primùm prodiisse videri possint, quemadmodum & ille Augusti: credo aurum ætate, etiam sub terram abditum, se in nitorem dare: nam nec rubigo, nec ærugo, neque salis aut aceti succus auri bonitatem consumit, aut pondus imminuit. Quamuis verò horum pondus Principum edicto imminutum, res ipsa haud leuem suspicionem nobis præbere possit, atque ex librâ iam octo & quadraginta signatos pondere granorum 160: hactenus tamen obstat Plinius, qui iam suo tempore duntaxat quinque & quadraginta ex libris singulis signari testatum reliquerit. Cùm interim illius ætatis nummi, vt ille Augusti Neronis, Sabinæ longe infra legitimum pondus subsistant.

Exinde verò iniquiore multò pondere percussos constat. Ab Heliogabalo extant granorum 132; ab Alexandro Seuero 130. vt quasi quinque & quinquaginta in libras singulas constitui possint granorũ 140. A Seuero quoque aureorum semisses & trientes primùm signatos Ælius Lampridius scriptum reliquit, locum integrum, quia huic loco oportunus, totum adscribam. Vectigalia (inquit) publica in id contraxit, vt qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem aurei

præstarent, hoc est tricesimam partem. Túncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, quum ad tertiam partem aurei vectigal decidisset, tremesses, dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset. Hactenus Lampridius. Constat itaq. aureum integrum, cuius partes erant, semissis, & tremissis seu triens, ratione partium minorum Solidum esse dictum. Rectè Isidorus libri 16 capite 24 Solidus apud Latinos alio nomine sextula dicitur, quòd de iis sex vncia compleatur. Hunc, vt diximus, vulgus aureum solidum vocat: cuius tertiam partem ideò dixerunt tremissem. Sex inquam aurei postmodum in vncia, & septuageni bini in libra. quorum mentio crebra in libris Iuris. vt Codicis libro 10, titulo 70, in rescripto Valentiniani & Valentis Imperatorum. Quotiescunque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta. datum VI. id. Ianuar. Romæ Lupicino & Iouino consulibus. qui fuit annus partæ salutis 370. Quamobrem iam tum, & multò ante aurei solidi 72 libram implebant. fueritque singulorum pondus granorum 106. nisi signantium auaritia aliquot grana rursum succidisset. Huius generis nummorum aliquot pondus hîc subiiciam.

	grana		grana
Gallieni	99	Valentis	90
Maximiniani	104	Gratiani	90
Constantii patris	104	Valent. Iunioris	90
Magnentii	92	Theod.	90
Constantii Iunioris	92	Arcadii & Honorii	90
Valentiniani	90	Iustiniani	90

Vix

Vix duo ex omni numero ad præſcriptum pondus factos vides. omnes quotquot vnquam videri mihi datum eſt eôdem collineant. Ecce tibi duos tresve cum inſcriptione ſua

parte vnâ	parte alterâ	grana
D. N. Valentinianus P. aug.	Reipublicæ datus reſtitutor *dextrâ ſcipionẽ ſiniſtrâ victoriolam geſtans.*	91
D. N. Honorius P. P. aug.	Victoria auggg. N D. CON. OB.	53
D.N. Anaſtaſius P. P. aug.	Victoria augg. *infra pedes* CON OB	91

Ceterum poſteriores nummi auri bonitate prioris ſeculi nũmis non nihil cedunt: vetuſtiſſimi enim auro puriſſimo conſtant. Certè Auguſtæus ille nullo nummo ne Edoardæo quidem (nummus is aureus eſt ab Edoardo Angliæ rege olim ſignatus) qui reliquis hodie purior cenſetur, bonitate erat ſecundus, vt ferè aurum obryzum diceres. Quod vt planius intelligatur, ratio indicaturæ auri paulò altiùs erit mihi r petenda. Omni auro ineſt argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte. In vno tantum Galliæ metallo, quod vocant Albicratenſe, eſt ſexta triceſima portio; ideò cæteris præeſt; inquit Plinius de auro nondum aurificum caminis perpurgato: nam quo ſæpiùs arſit, proficit ad bonitatem. Itaque aurifices noſtri quatuor & viginti bonitatis, ſeu puritatis auri gradus conſtituunt, quas carattas vel ceratia ipſi vocitant: quorum quartus & viceſimus ſit ſummus bonitatis gradus, quod & obryzum dicunt, nullum tamen aurum ad hunc puritatis gradum pertingere. id ſi de monetario ſo-

lùm intelligas, verum fuerit: inuenta enim est ars aurum purum putum præstandi, aquæ chimicis operibus medicatæ beneficio, hanc aquam regiã, alii fortem vocant, quòd omnia metalla, argentũ, æs, ferrũ, solo auro excepto, in liquorem resoluat. scorias verò auri omnes solus ignis nunquam expurgabit: Itaque aurum etiam excoctissimum aiunt expurgari duntaxat ad $23\frac{3}{4}$ ceratium, siue puritatis gradum, hoc est, vt aliis verbis idem planiùs dicam, in auri maſsâ quâcunque vt minimum nonagesimam sextam partem esse alieni metalli: In argento autem (vt hoc quoque addam) quadragesimam octauam. Itaque cùm dicunt aurum esse 18 carattorum, quartam alieni metalli partem admixtam esse significant. atq. ita in cæteris. Exempla aliquot, prout nummi aurei Belgii αὐτονόμου Ordinum constitutione superiore anno salutis 1611 taxati sunt, proponam.

	caratti	grana
Aurum rosati nobilis Edoardici	$23\frac{3}{4}$, nummus ipse pédet	160
Ducati Hollandici, & Hungarici	$23\frac{3}{5}$,	73
Coronati Gallici	$21\frac{1}{2}$.	71
Pistolletti Hispanici	$21\frac{17}{19}$	71
Aurei Rhenani	$18\frac{3}{4}$	68

Quamobrem vt iam Edoardæi auri indicaturam cum alterius nummi auro instituas, sumendi tantùm erunt tibi singulorum caratti, iidemque inter se comparandi. vt si Edoardæum aurum, ad aurum coronati Gallici ratio quæratur, bonitas illius est $23\frac{3}{4}$ ca-

$23\frac{3}{4}$ carattorũ, huius autem $22\frac{1}{2}$, aio igitur illius auri massam aliquam ad huius auri massam paris ponderis, eam habere rationem quam $23\frac{3}{4}$ ad $22\frac{1}{2}$, hoc est in minimis terminis, quemadmodum 19 ad 18, ita se habere aurum Edoardæum ad Gallicum. Sed ponderis ratio hîc planè est inuersa: Nam quia ratio melioris auri ad vilius est, quæ 19 ad 18, contrà ratio ponderis erit vt 18 ad 19. vt si Edoardæum sit vnciarum 18, Gallicum, vt illi pretio par sit sumendum erit vnciarum 19. ista enim reciprocatio hîc locum habet. Vnde facilè per proportioné concludere licebit. vncia auri Edoardæi, siue Romani quot Gallici auri granis æquiparanda sit. hoc modo, vt 18 ad 19; ita vncia, hoc est 640 grana ad quem? concludes $675\frac{5}{9}$. id est 676 grana ferè. Et cùm aureus Gallicus habeat pondus 71 granorum, aurei $9\frac{17}{37}$. id est vt proximè $9\frac{1}{2}$ aurei Gallici æquabũtur vnciæ auri Edoardici, qui sunt rosati nobiles quatuor. & singuli Edoardæi æquantur $2\frac{3}{8}$ Gallicis. Quare aureus Romanus põdere 170 granorũ accuratiore æstimatione par erit aureis Gallicis $2\frac{1}{2}$ Et propterea 10 denarii vnicoronato æquales erunt. Eodem modo in aliis quoq. experieris. Vt si libeat scire quot Rhenani vnciã auri Edoardici vel Romani valeant: aurum Edoardæũ est $23\frac{3}{4}$ carattorum, Rhenanum $18\frac{3}{4}$ carattorum, itaq. illius ad hoc eodem pondere ratio erit vt $23\frac{3}{4}$ ad $18\frac{3}{4}$. siue in minimis terminis, vt 19 ad 15. At contrà pondus Edoardæi 15 granorum (dicis gratia) æquabitur pretio auri Rhenani pondere granorum 19. vnde proportio. vt 15 ad 19, ita 640 grana ad 810 grana auri Rhenani: cumque aureus Rhenanus pondus habeat 68 granorum, constat $11\frac{31}{34}$ au-

$11\frac{31}{34}$ aureos Rhenanos, vnciæ auri Edoardæi ſeu Romani pretio æquari, & ſingulos Edoardæos pretio æquari $2\frac{133}{136}$ Rhenanis. atq.ita de cæteris; & denarii $8 - \frac{32}{81}$ hoc eſt vt proximè $8\frac{2}{5}$ vno Rhenano continebuntur. Auri verò ad argentum valorem etiam aliquando auctū imminutúmve, pro vtriusque metalli abundantia & penuria, quotidiana nos experientia docet. Itaque Menādro poëtæ auri valor fuit tantùm decuplus argenti, Herodoto τρισκαιδεκαστάσιος tredecuplus; Romanis cùm primùm argentum ſignatum fuit ſeptendecuplus; Plinio lib. 19. c. 1. duodecuplus: Straboni rurſum decuplus, vt & Liuio anno vrbis 565. vbi de Ætolorum pace ita loquitur: Pro argento ſi aurum dare mallent, darent conuenit, dum pro argenteis decem aureus vnus valeret. At ſub Honorio & Arcadio vt 72 ad 5. Codicis lib. 10 titulo 75. Vt pro ſingulis argenti libris, quinos ſolidos inferat. Ab hinc annis centum vt 12 ad 1, nobis in Hollandia hoc ipſo labente anno 1612, vt 40 ad 3. atque ita aliàs, aliâ. Similis quoque ratio in cæteris metallis obtinet, quorum pretia pro penuriâ & copiâ intendi & remitti ſolent. Honorio & Arcadio impp. titul. 29 codicis lib. 10 ſolidus vnus viginti libris æris rependitur. itaque ratio auri ad æs vt 1440 ad 1. argenti autem ad æs vt 200 ad 1. Quæ nunc multò minor eſt. æris enim pretiū ſuperioribus annis multum excreuit. Interim illud notandum, in hâc comparatione puritatis gradus obſeruandos, vt aurum puriſſimū cum optimo defecatiſſimoque argento contendas: aliàs enim hæc ratio te multum fallet. Et hactenus quidem monetæ Romanæ cum æſtimatio, tum pondus re ipſa, & ſcribentium autoritate demon-

ſtrata

ſtrata ſunto. Externum numiſma deinceps ſuccedat: Et primò quidem Græcorum: quibus vſitata fuere,

Talentum, & mina pro aliquâ pecuniæ ſummâ, nonnunquam & pro pondere: ſtater, obolus, chalcus etiam pro numiſmate.

Talentum, τάλαντον, vox Græcis variâ notione vſurpata: propriè pro librâ zygoſtaticâ & bilance. Inde per tropum à continente ad rem contentam tranſiit, & ponderis appenſi ſignificationem induit: peculiariter verò definitè aliquot librarum pondo; in quâ ſignificatione, tanquam propriâ, tandem hæſit. Hoc modo Plinius libri 33 capite 3 Varronis autoritatem appellat: Talentum autem, inquit, Ægyptium pondo octoginta patere Varro tradit. Ita & Liuius libro 38 de fœdere Antiochi: Argenti probi Attica talenta duodecim millia dato intra duodecim annos, penſionibus æquis. talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. Vitruuius etiam aliud 120 librarum conſtituit libri 10 capite 21, Agetoris Byzantii teſtudinem deſcribens. Gubernabant eam homines centum, habentem pondus talentûm quatuor millium, quod fit 480000 pondo. quare diuiſis 480000 per 4000 talenta, ſingulis cedet pondus 120 librarum. Hero Antiochicum quoddam talentũ ξυλικὸν appellatum ſcribit continere minas Atticas 360, libras autem (Romanas intellige) 375. Talentum quo Moſes argenti, æris, aurique pondera in tabernaculi fabricâ expendit, fuit minarum Atticarum 120. quem calculum accuratè ſatis expreſſit Exodi capite 38, commate 25 & 26. Verba ipſa libet adſcribere: Item argentum numeratorum è cœtu

 centum

centum talenta, cum mille septingentis septuaginta quinque siclis, prout est siclus sacer. semissis in singula capita, dimidium, inquam, sicli prout est siclus sacer, in quemque transeuntem ad numeratos à nato viginti annos & deinceps, in sexcentos ter mille quingentos quinquaginta. Hic itaque si de 603550 deducas duplũ 1775, hoc est 3550 dimidios siclos, reliqui 600000 dimidii sicli facient talenta centum, & 6000 dimidii sicli singula: atqui siclum tetradrachmo Attico æquari Iosephus lib. 3 Antiquitatum Iudaicarum capite 9 docet: quare dimidius siclus drachmis duabus, & 6000 dimidii sicli drachmis 12000: itaque 120 minæ Atticæ vni talento Mosaïco æquabuntur: quia 100 drachmæ, minam faciunt, vt infra dicetur. eodemque pondere paulò post æs appendit. Ita Diodorus Siculus libro 9 libras Romanas 125, talentum vocat. Idemque Epiphanius tradidit. Verùm ista nobis commodiùs dicentur in mina, ne hîc cogamur multa anteuertere. Cæterùm ab hâc ponderis significatione Talenti appellatio ad numisma transiit: nam cùm è certis argenti libris certa pecuniæ summa signaretur, aliquot huiusmodi librarum congeriem Talentum dixerunt, etiamsi in auro numeraretur, propter tot librarum argenti ἰσοδυναμίαν.

Talentum omne, siue pro pondere quolibet, siue pro pecuniæ summâ tantùm ponatur, habet sui generis minas 60, stateras 1500, drachmas 6000, obolos 48000.

Id signatè Hero: Πᾶν τάλαντον ἰδίας ἔχει μνᾶς ἑξήκοντα· ἡ δὲ μνᾶ στατῆρας κέ· ὁ δὲ στατὴρ δραχμὰς δ'. ἡ δὲ δραχμὴ ὀβολοὺς ς': Omne talentum habet proprias minas 60: mi-

60 mina stateras 25: stater drachmas 4: drachma obolos 6. Idem è Pollucis capite 6 libri 9 colligere est. Et Suidas quoq. locum Diodori (cui ob pertinax studium, & indefessum laborem cognomentũ inditum χαλκέντερος) è libro de ponderibus eodem sensu citat. Quamobrem, inquam, mina sui talenti est pars sexagesima. Sed quemadmodum talentorum quantitas diuersa, ita & minarum valor multum dispar: eandemq. inter se analogiam sequuntur stateres, drachmæ, oboli, pro ratione talentorum; quorum valorem vndique conquirere operæ pretium existimaui. Locus super hâc re apud Pollucem illustris extat. Talentum, inquit, Atticum valebat sex mille drachmas Atticas: Babylonium septem mille: Æginæum decem mille: Syrum autem mille quingentas, ad Atticæ drachmæ calculum: quemadmodum & Atticum talentum minas Atticas valet 60: Babylonium 70: Æginæum 100. Herodotus in Thalia Babylonium talentum septuaginta Euboïcis minis ait æquari: vnde efficitur Euboïcum talentum cum Attico paria facere. Neque me mouet Ælianus libri 1 capite 22 vbi ait: Δύναται δὲ τὸ τάλαντον τὸ Βαβυλώνιον δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς Ἀττικάς. Valet autem talentum Babylonium septuaginta duas minas Atticas. Mihi locus ille suspectus planè, & illa δύο aliunde iterata ex superiore versu, vbi φιάλαι δύο scriptum, omnino persuasum habeo, & attento lectori ita visum iri nullus dubito, alioquin malim multò Herodoti disertis verbis fidem adhibere, qui has regiones ipsemet obiuit ac lustrauit, quàm alieni operis descriptori Æliano. Et si quo minus Herodoti verba cum suo epilogismo congruant, ego non

tam diſcrepantiam rei, quàm humanum errorem in causâ ponam. Porrò autem è reliquis Atticum talentum, 80 minarum, Ptolemaicum, & Antiochicum, ſi ad rerũ pondera referantur, paria fuiſſe, Hero mihi autor eſt; atqui verò cùm ad pecuniæ ſummam, multum differunt. Eſt enim Ptolemaïci quadruplum, Antiochici autem ſeſquiquartum, Tyrio æquale. verba hæc ſunt: Τὸ δὲ Ἀττικὸν τάλαντον ἰσοστάσιον μὲν τῷ Πτολεμαϊκῷ καὶ Ἀντιοχικῷ, καὶ ἰσάριθμον ἐν πᾶσι· δυνάμει δὲ τοῦ μὲν Πτολεμαϊκοῦ κατὰ τὸ νόμισμα τετραπλάσιον, ἐπίτριτον δὲ τοῦ Ἀντιοχικοῦ, τῷ δὲ Τυρίῳ ἴσον. Intelligi autem hoc loco talentum Atticum 80 minarum ſeu maius, paulò poſt ipſe indicat, cùm inquit: Τὴν Αἰγιναίαν καὶ τὴν Ῥοδίαν μνᾶν τῆς Πτολεμαϊκῆς εἶναι πενταπλάσιον, ἑξαπλασίαν δὲ τὴν νησιωτικὴν οὕτω προσαγορευομένην: Æginæam, & Rhodiam minam Ptolemaïcæ quintuplam, inſulanam verò, quæ ita vocitatur, eſſe eius ſextuplam. atqui Æginæum talentum habebat Atticas minas 100: quare Ptolemaicum habuit 20; & Atticum, cuius ſupra mentionem fecit, 80: Vnde hoc amplius diſcis, Rhodium Talentum Æginæo æquari: τὸ νησιωτικὸν 120 minis Attici rependi. Apud Athenienſes autem talentum duplex, maius & minus, in vſu fuiſſe, Comicorum teſtimoniis manifeſtum eſt. Plautus Moſtellaria: Si hercle nunc ferat ſex talenta magna argenti pro iſtis præſentaria, Nunquam accipiam. Et rurſum alibi: Aliâs pro illâ me poſcit triginta minas, aliâs talentum magnum. Huius tamen differens æſtimatio non perinde omnibus in promptu eſt: aliis aliâ taxatione eam definientibus. Minus talentum 60 minarum fuiſſe, nulli eſt dubium: maius verò alii centum, alii octoginta Atticis minoris

notis talenti minis circumſcribunt. Ego ſanè poſteriori non inuitus ſubſcribã: & cauſam huius ſententiæ hanc habeo, quòd Liuius Decadis quartæ libro octauo in fœdere Antiochi ita loquatur: Attica talenta duodecim millia dato intra duodecim annos, penſionibus æquis. talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. Quare Atticum talentum minarum fuit octoginta: minã enim & libram Romanam vt proximè æquales, infrà probabitur. Atqui talentum Atticum 60 minarum quoque fuiſſe, veteres, & noui omnes pariter inculcant. Ideoque illud 80 minarum, reſpectu huius maius dictum, nemini dubium eſſe poteſt. & huic Ptolemaicum ab Herone æquiparatur. Atque ita demum verum eſt quod Plinius inquit: Talentum Ægyptium pondo octoginta patere, Varro tradit. Quamobrem talenti magni æſtimatio ita nobis firmiſſimis argumentis definita eſto. Eſt verò & alius generis talentum, quod non nudè talentum, ſed cum adiectione talentum auri vocatur. Id enim Pollux libri quarti capite viceſimo quarto monuit: Aureus autem ſtater pendet duas drachmas Atticas; talentum autem, tres aureos. At Euſtatius in Odyſſeæ librum Θ: φασὶ δ' οἱ παλαιοὶ, ὅτι διχῶς τὸ τάλαντον. ζυγός τε γὰρ, ὃν στατῆρα καλοῦμεν, καὶ σταθμὸς χρυσίου σύμμετρος. Pollux magis diſtinctè libri 9 capite 6. Valebat autem auri talentum tres aureos Atticos: argenti verò ſexaginta minas Atticas. Verba ipſa accuratè nobis notanda ſunt: nam hîc auri talentum & talentum argenti valore longiſſimè inter ſe diſparantur. atque ita Homeri locus ille Iliados Ψ de præmiis certaminum in Patrocli funeratione nobis intelligendus: vbi

vbi poëta secundo loco statuit equam sexennem mulo fœtam, tertio lebetem, quarto denique δύω χρυσοῖο τάλαντα. Ergo duo auri talenta essent Polluci tres aurei Attici: Eustatio tantùm quatuor; cui Hero meus adstipulatur. inquit enim: τὸ δὲ παρ' Ὁμήρῳ τάλαντον ἴσον ἐδύνατο τῷ μετὰ ταῦτα Δαρεικῷ: Talentum Homericum tantidem est, quanti aureus Daricus, qui post eius ætatem demum signatus est. sed Daricum Iosephus libro 3 Antiquitatum capite 9. auri siclo, hoc est, duobus Atticis aureis taxauit. quamobrem auri Talentum Eustatio & Heroni aureis Atticis duobus, Polluci autem tribus rependitur. Verùm argenti talentum ab eo diuersum fuisse, ne Latinis quidem Comicis fuit ignotum. Plautus Truculento: Hem tibi talentum argenti; Philippicum est, tene tibi. Hic talentum quidem numerat in aureis Philippeis, non tamen auri talentum, sed talentum argenti, talentum minus, quæ erant sexaginta Atticæ minæ. Quamobrem ista omnis est talentorum diuersitas: quorum quidem valorem certò & constanter definitum affirmare possimus. Vt autem res ipsa per se clarior sit, breuiculâ synopsi omnem summam, in tabellâ proponam.

Talentum pro pondere tantum

Ægyptium	*est minarum Atticarum*	80
Antiochicum		80
Cleopatræ Ptolemaicum		$86\frac{2}{3}$
Alexandriæ ξυλικὸν		96
Mosaicum		120
Insulanum		120
Antiochiæ ξυλικὸν		360

Ta-

Talentum pro pecuniæ summa.

Talentum auri	*est minarum Atticarum*	$\frac{1}{2}$ vel $\frac{2}{3}$.
Syrum		15
Ptolemaicum		20
Antiochicum		60
Eubœum		60
Atticum minus		60
Babylonium		70
Atticum maius		80
Tyrium		80
Æginæum		100
Rhodium		100

Hæc de talentorum inter se comparatione, & ad partes ſuas ratione dixiſſe ſufficiat. ſequitur mina eius partium maxima.

Mina habet ſ.ateras ſui generis quinque & viginti, drachmas centum, obolos ſexcentos.

Mina, Græcis Μνᾶ: eius originationem quidā ex Hebræo מָנָה numerare, deduxerunt. vox ipſa Ezechieli capite 45 cōmate 12 vſurpata. Minam quidā initio non vbique gentium centenariā fuiſſe, haud dubiis autoribus probare poſſumus. Athenis ante Solonis σεισαχθίαν mina fuit drachmatum trium & ſeptuaginta, quemadmodum Plutarchus in eius vita tradidit: Ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν, πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὖσαν· ὥστ' ἀριθμῷ μὲν ἴσον, δυνάμει δ' ἔλαττον ἀποδιδόντων, ὠφελεῖσθαι τοὺς ἐκτίνοντας μεγάλα, μηδὲν δὲ βλάπτεσθαι τοὺς κομιζομένους: Minam enim conſtituit drachmarum centum, quæ priùs erat tantum trium & ſeptuaginta. Vt cùm totidem numero drachmas darent, valore & pondere illis mino-

minores, debitores quidem emolumentum haud leue perciperent, sed absque creditorum damno. Signabantur enim 27 amplius è singulis argenti libris, quas tamen creditores cogebantur pro graui drachma ex lege Solonis accipere. Centenaria autem vbique gentium exinde recepta est. Ita Attica, Æginæa, Babylonia, Antiochena, Ægyptia sui generis centenariæ sunt. Pollux loco citato. Et Hero, Πᾶν τάλαντον ἰδίας ἔχει μνᾶς ξ', ἡ δὲ μνᾶ στατῆρας κέ, ὁ δὲ στατὴρ δραχμὰς δ'. Omne talentum habet suas minas sexaginta, mina stateras quinque & viginti, stater drachmas quatuor. Denique Plinius libri 21 capite 34. Mna, quam nostri Minam vocant, pendet drachmas Atticas centum, aliique præterea complures. Idem quoque variorum scriptorum comparatione inter se colliges. Exemplum vnicum è Plutarcho Liuioque huc aduocabo. Liuius libro 22, de bello Punico, In permutandis captiuis conuenerat inter duces Romanum Pœnumque, vt quæ pars plus reciperet, quàm daret, argenti pondo bina & selibras in militem præstaret: de eodem Plutarchus in Fabio dixit, vt pro quolibet drachmas ducentas quinquaginta solueret. Quare drachmas centum pro librâ argenti posuit Plutarchus: idque potius ex consuetudine loquendi vsu vulgò receptâ, quàm quòd ita se penitus haberet, si ponderum momina pensiculatiùs examinares. Omninò enim verum non est, libram Romanam centum Atticis drachmis æquatam. Sed cùm Romani denarii pondus initio quidem ita esset legibus definitum, vt septem ex vnciâ signarentur, quemadmodum Scribonio Largo, Plinio, Celsoque autoribus euicimus: rarissimos tamen inuenias,

(etiam

(etiam longè ante quàm Respublica in vnius potestatem concessisset) ita signatos, qui vel 80 granorum pondus trahant, quod supra denariis aliquot in rem præsentem abductis demonstratum fuit. Hoc tamen pondere plerosque fuisse vix dubitamus, vt octo denarii tales vnciam impleant: drachmam autem Atticam octauam vnciæ partem fuisse notius est, quàm vt probatione indigeat; vel medicis autoribus, qui id disertè satis testantur, octo drachmas Atticas vnciam facere: Ferè enim Attica obseruatione medici vtuntur, inquit Plinius. Ideóque apud Galenum legas non semel: Ἡ οὐγγία ἔχει δραχμὰς ή. Vnde Isidorus, drachma octaua pars vnciæ est. Sed vnciæ duodecim libram faciunt: ideoque sex & nonaginta drachmas libræ Romanæ æquari clarum est. Mina autem Attica drachmas habet centum: quare dimidia vncia in mina Attica necessariò redundabit. Quamobrem in elegantissimo illo Cleopatræ fragmento verissimè legitur: Ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγγίας ιβ´ ∟, δραχμὰς ρ´. & paulo post: Ἡ λίτρα ἔχει οὐγγίας ιβ, δραχμὰς ϛϛ´. Attica mina habet vncias $12\frac{1}{2}$, drachmas 100. libra habet vncias 12, drachmas 96. Vt ratio Attica mina ad libram Romanam sit quemadmodum 25 ad 24, vt minæ 24 libris 25 æquales sint. Et tamen vulgò ita creditum est, minam Atticam Romanæ libræ æquari: quod vt minus videatur effecerunt ii, quorum diligentia sæpè circa minutissima ponderum nomina occupari solet. Sic enim planè legas apud Galenum de ponderibus & mensuris, è fragmento nescio quo: ἡ Μνᾶ ἡ Ἀττικὴ ἔχει οὐγγίας ιβ´: Mina Attica habet vncias 12, quod profectò esse verū numquam probabunt.

bunt. Ab eodem fonte illud quoque fluxit, quod in eodem libello legatur de Attica mina maioris talenti: Ἡ μνᾶ ἡ Ἀττικὴ καὶ ἡ Αἰγυπτία ἔχει οὐγγίας ιϛʹ nam non 16, sed $16\frac{2}{3}$ ex accuratiore calculo elicies. Veruntamen cùm scriptores Latini pariter & Græci drachmâ & denario promiscuè vtantur, & alterum pro altero reponant, idque disertis verbis libri 21 capite vltimo Plinius expresserit (drachma Attica, inquit, denarii argentei habet pondus) cumque nummi ipsi inter se pariarent, non fuerit tantoperè admirandum, vulgò creditum libram & minam quoque inter se paria facere. contra autem rem aliter se habere nominatim etiam monet Hero: Ἡ μὲν Ἀττικὴ μνᾶ στατηρῶν ἐστι κέ, ἡ δὲ Ἰταλικὴ λίτρα στατηρῶν κδʹ. Mina Attica habet stateras 25, libra autem Italica stateras 24. Atque hinc demum explicatu facile est, quid sibi velit Epiphanius eumque secuti Suidas & Hesychius: Τὸ τάλαντον κατά τινας λιτρῶν ρκέ ὑπάρχει: Talentum secundum aliquos est librarum 125. Ita inquam, librarum Romanarum 125, vel minarum Atticarum 120: quod facile ex proportione supra positâ concludes. Quomodo intelligendus ille apud Diodorum Siculum libro nono, de Menenio, locus: Non tamen, inquit, capitalis mulcta fuit, sed pecuniaria: &, si ad nostri seculi vitam & fortunas conferatur, ridicula; sed illius temporis hominibus, suis manibus necessarium duntaxat victum quærentibus, præsertim huic cui paupertas pro patrimonio relicta fuerat, grauis; duo assium millia. Erat autem as æreum numisma, librali pondere: ita vt tota multa sedecim talenta æris conficeret. Græca verba ita habent: Δισχιλίων ἀριθμὸς ἀσσαρίων. ἦν δὲ ἀσσάριον

χάλ-

χάλκεον νόμισμα βάρος λιτραῖον. ὥστε τὸ σύμπαν ὄφλημα, ταλάντων ἑκκαίδεκα εἰς ὁλκὴν χάλκου γενέσθαι. Hoc Liuius libro secundo: Duo millia æris damnato indixerunt. Age igitur, si 2000 æris per 16 talenta diuidamus, reperiemus singulis cedere libras Romanas 125: vnde, non aliter ac supra, expeditè concludes talentum 120 minarum Atticarum. tot enim minæ Romanis 125 libris æquantur. Itaque non omnino præter scopum Priscianum hîc labi in procliui fuerit ostendere, modò benignè interpreteris, cùm inquit, Talentum Atheniense paruum minæ sexaginta: Magnum minæ octoginta tres, & vnciæ quatuor. Vbi ita scribendum fuisset, Magnum minæ octoginta, id est, libræ Romanæ octoginta tres & vnciæ quatuor. Id enim proportio ipsa coarguit. Vt 24, ad 25, ita 80 ad $83\frac{1}{3}$. Sed talentorum inæqualitatem minarum analogia quoque sequitur. Atque ideò, si ad Atticam minam aliarum valorem reuoces, tum 25, $116\frac{2}{3}$, $133\frac{1}{3}$, $166\frac{2}{3}$ Atticæ drachmæ implebunt minam Syrã, Babyloniam, Ægyptiam, Æginæam. Minarum porrò apud medicos vsus varius. Dioscoridi mina Alexandrina est vnciarum 20, seu drachmarum 160, quam Hero mechanicus non absolutè Alexandrinam, sed cum adiectione ξυλικὴν vocat. Singulæ autem minæ quot Atticis drachmis pondere æquiparentur, hîc ordine subiiciam.

Mina pro pondere tantum.

Ægyptiaca	*habet Atticas drachmas*	$133\frac{1}{3}$
Antiochica		$133\frac{1}{3}$
Cleopatræ Ptolemaica		144
Alexandrina Dioscoridis, vel Heronis Alexandrina ξυλικὴ		160

Mina pro pecuniæ summa.

Syra	*est drachmarum Atticarum*	25
Ptolemaica		$33\frac{1}{3}$
Antiochica		60
Eubœa		60
Attica minor		60
Babylonia		$116\frac{2}{3}$
Attica maior		$133\frac{1}{3}$
Tyria		$133\frac{1}{3}$
Æginæa		$166\frac{2}{3}$
Rhodia		$166\frac{2}{3}$

Sed vt à librâ Romanâ minarum in vncias partitio traducta est: ita libræ in drachmas diuisio ab iisdem in medicum vsum est introducta: vt vnciam quidem à Latinis, reliquas minores partes ab Atticâ consuetudine mutuarentur. Huius igitur partes, & partium particulæ quemadmodum notentur, & quid valeant, hîc annotare oportunum videtur. Libra, vt integrum omne, habet vncias duodecim, semuncias quatuor & viginti: deinde drachmas sex & nonaginta: scrupula, vel scrupulos, quæ γράμματα Græci vocant 288: obolos 576. Vt drachma pars vnciæ sit octaua; scrupulum drach-

drachmæ tertia: obolus ſcrupuli pars dimidia, & drachmæ ſexta. quorum characteres & pondera, quemadmodum à medicis hodie vſurpantur, in minimis granorum mominibus huiuſmodi ſunt.

Characteres		pondera
℈ ſ.	*Obolus*	gr. x.
℈ i.	*Scrupulus*	gr. xx.
ʒ i.	*Drachma*	gr. lx.
℥ ſ.	*Semuncia*	ʒ. iiii.
℥ i.	*Uncia*	ʒ. viii.
℥ i ſ.	*Seſcuncia*	ʒ. xii.
	Quartarius vel quadrans	℥. iii.
℔ ſ.	*Selibra*	℥. vi.
℔ i.	*Libra*	℥. xii
℔ i ſ.	*Seſquilibra*	℥. xviii.

Formulæ characterum, & ponderum ratio apud medicos vſu recepta talis eſt: quæ tamen à legittimo pondere multum degenerauit; ſiquidem iſta ad Attici ponderis rationem exigenda ſint. Et minus vero dixit Fernelius Methodi lib. 4 c. 6. nummarium pondus (quod tanquam legittimũ ipſe quoq. vſurpauit) ſuperare medicum vulgare quinta parte, vnde drachmam conſtituit granorum monetalium 72, cùm eam 80 granis ἀντισηκοῶ ex vnciæ granis 640 per 8 diuiſis promptum ſit colligere. Verùm enimuerò neque illud omninò nobis erit negligendum, in granorum momentis aliam eſſe rationem apud Hiſpanos in vſu, ex conſtitutione Ferdinandi & Eliſabethæ Regum anni 1488: ſanciuerunt enim vt grana ex aurichalco vel ære fierent, atque libra integra in grana 6912 tribueretur,

tur, cuius pars duodecima 576 singulis vnciis cedat. De hac partitione verè dictum à Fernelio 72 granis libram impleri. quod ipsum notauisse non abs re fuisse crediderim. Quamobrem ista de Talento, minâ, librâ & partium ponderibus dicta sufficiant. Ad singulorum numismatum valorem deinceps me conferam.

A drachmâ didrachmum, tridrachmum, tetradrachmum, qui & à pondere stater, pentadrachmum, nummi argentei in vsu fuere.

Drachmæ originationem Plutarchus in Lysandro explicauit: Videtur, inquit, olim omninò ita obtinuisse, vt ὀβέλοις veruculis vterentur numismate ferreo, alibi etiam æreo, vnde & ὀβολοὺς vocitamus: δραχμὴν δὲ τοὺς ἓξ ὀβολοὺς καλεῖσθαι· τοσούτων γὰρ ἡ χεὶρ περιεδράττετο, drachmam autem (hoc est, pugillum, quantum quis cauâ manu prehendere possit) sex obolos dictos, quia tot manus caperet. Idem & Pollux, & Eustathius in Iliad. α docent.

Attica drachma pro Romano denario vulgò promiscua significatione vsurpatur.

Ita, inquam, omnes autores pecuniæ aliquam summam descripturi eâ notione alterum pro altero reputant. Quin & Galenus Pliniusque etiam pro eodem pondere vsurpant: cùm tamen, si ad accuratiorem veritatis trutinam ista examines, magno discrimine inter se dissideant. Est enim denarius antiquus vnciæ pars septima, drachma verò octaua. Scriptores tamen veteres differentiam hanc nihil pensi habentes, vtroque promiscuè vtuntur. Liuius libro 34 de captiuis Romanis ab Annibale venundatis, & in Græcia seruitutem seruientibus: Multitudinis (ait) eorum argumentum

gumentum est, quòd Polybius scribit, centum talentis eam rem Achæis stetisse, cùm quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent. Mille enim & ducentos eâ ratione Achaïa habuit. Quare si 1200 per 500 denarios multiplices, efficitur summa 600000, hæc per 100 talenta diuisa dabunt singulis denarios 6000, quot Atticas drachmas talento Attico minore contineri suprà docuimus. Fuit itaque denarius drachmalis. Nam Plinius libri 21 capite 34 disertis verbis id loquitur. Drachma Attica, inquit, denarii argentei habet pondus. Plutarchus quoque de exilio Camilli ait eum damnatum 15000 assibus, quæ sint drachmæ 1500: nam, inquit, as, siue æs pecunia, & decem asses denarius erant. Ita drachma & denarius ab omnibus nullo discrimine vsurpantur. Drachmæ diuersæ talentorum rationem sequuntur. Igitur drachma Æginæa ad Atticam habet rationem quam 100 ad 60; & decem oboli Attici drachmam Æginæam valebunt. Idem de reliquis iudicium esto. Æginæam verò drachmam, quia Atticæ præponderaret, ipsi παχεῖαν spissam inuidiâ ducti vocitabant, loci nomine suppresso.

Didrachmum, drachmarum duarum. Tale fuit numisma census, quod Iudæi in singula capita Romanis Imperatoribus pendere cogebantur. Mathæi 17 Προσῆλθον αὐτῷ οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες. Tributũ idem à Vespasiano annuatim indictũ Iosephus de captiuitate Iudaicâ libri 7 c. 26 ait: Stipendium verò vbicunque degerent Iudæis indixit: binasq. drachmas singulis annis deferre in Capitoliũ iussit, ita vt ante hâc Hierosolymitano templo pendebant. Idem hoc numisma inde antiquitùs à

Draconis ætate vſitatum *Bos* vocabatur, ὅτι βοῦν εἶχε ἐντετυπωμένον, quia bouem haberet inſculptum, inquit Pollux. Vnde & prouerbio locus, apud Theognidem Gnomis, βοῦς μοὶ ἐπὶ γλώσσης, bos in lingua, quo ſignificatur argento taciturnitatem redemptam. Habui tria didrachma, quæ cùm & integerrima & antiquiſſima eſſent, & planè, quantum quidem à peritiſſimis iudicari potuit, non adulterina aut ſimulata, formâ tamen erant inter ſe diuerſiſſimâ; nummus vnus craſſior, & minore orbe; alter non ita ſpiſſus, ſed circulo maiore diffuſus: tertius ne circularis quidem, ſed è tribus circulorum ſegmentis compoſitus, tanquam ſi ſuper trianguli æquilateri latera tres ſemicirculos decircinaſſes: nihilominus omnes, quod mirere, eodem pondere 168 granorum, & ſignaturâ ſimillimâ, tanquam ad idem exemplar facti, obſeruatâ magnitudinis ſingulorum ſymmetriâ. Parte vnâ Mercurii caput erat cum caduceo, in duobus etiam infra poſita litera A; parte aduersâ Pegaſus alatus. Quâ ſignaturâ apud Corinthios nummum exſtitiſſe Pollux his verbis nos docet: Καὶ πῶλος ἦ τὸ νόμισμα τὸ κορίνθιον, ὅτι πήγασον εἶχε ἐντετυπωμένον: Et pullus numiſma eſt Corinthium ita dictum quia Pegaſi effigiem habet impreſſam. Cùm itaque 160 grana didrachmi Attici pondus à nobis ſit conſtitutum, in his autem octo redundent, credibile eſt Corinthios alio minarum pondere vſos, quàm Athenienſes. Id quamuis non obſcuris indiciis odoratus mihi videar, nolim tamen de re adeò incertâ quidquam temere pronuntiare, priuſquam nobis iſta planiùs liqueant.

Tridrachmum, drachmarum trium, qui ſunt denarii

denarii tres, ſeſtertii duodecim. Liuius libro 34 Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum, tridrachmam vocant (ita enim legendum cenſeo) trium ferè denariorum in ſingulis argenti eſt pondus:

Tetradrachmum & tetradrachma, drachmarum quatuor, qui & à pondere ſtater dicitur. Ita Matthæi 17 humani generis, redemptor pro ſe & Petro duo didrachma ſoluturus, mandat Petro vt hamum in aquam iaciat, & ſtaterem, quem in ore primi piſcis eſſet inuenturus, pro vtroque, publicano daret.

Pentadrachmum, drachmarum quinque. Cyrenenſium nummus fuit.

Partes drachmæ ſunt obolus, diobolum, triobolum ſeu ἡμιδραχμιον, *tetrobolum.*

Partes Oboli chalcus, dichalcum, ſemiobolus, & λεπτόν.

Obolum quaſi ὀβελὸν dictum ex Plutarchi Lyſandro ſupra docui. at Ariſtoteles παρὰ τὸ ὀφέλλειν, quaſi ὄφελος deriuauit, ſi quid Polluci credimus. Euſtathius tamen in Iliad. a Plutarcho aſtipulatur, ὀβελὸν σιδήρου τι ἔλασμα ἔλεγον, obolum ferream quandam laminam vocabant, vt veru quodammodo efformatum, adeò ponderoſum, vt ſex oboli manum implerent, qui numerus etiam inde drachma dictus. hactenus Euſtathius. Obolum ex ære fuiſſe, Vitruuius libri 3 capite 1 autor eſt. Ex eo etiam, inquit, videntur ciuitates Græcorum feciſſe, vti quemadmodum cubitus eſt ſex palmorum, ita in drachmâ quoque eo numero vterentur: illæ enim æreos ſignatos, ex æquo ſex, quos obolos appellant, conſtituerunt. Obolus itaque

ſuæ drachmæ pars ſexta, & ex ære fuit. Obolorum autem comparatio inter ſe drachmarũ rationem ſequitur: nam quãuis ſex oboli Æginæi drachmam Æginæam, & ſex Attici Atticam conſtituant: tamen 10 Attici oboli tantùm vni drachmæ Æginææ æquiparantur. Atque ita de cæteris. Oboli nota χελώνη teſtudo (ſaltem in Peloponneſo) & inde parœmia τὰν ἀρετὰν, καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι, Virtutem & Sapientiam teſtudines vincunt. Non eſt nobis hîc Polybii locus ille ſilentio prætereundus, vbi ait ſemiſſem eſſe partem oboli quartam. vt neceſſe fuerit denarium eo tempore, duodecim aſſibus commutatum, & ſeſtertium quaternis, & aſſes binos obolis ſingulis æquatos: Niſi fortè dicas obolum maiorem ab eo intelligi, ratione Talenti Attici maioris minarum 80: qui cõputus ad amuſſim cum denario decuſſi ſexi congruit. nam ſedecim bis ſumpta tantundem valent atq. octies quaterna. quâ de re etiam atq. etiam deliberandum cenſeo. Ab obolo vſura inſtituta ἐφεκτὸς τόκος, tanquam fœnus ſeſquiſextum dicas, quia ſors cum lucro ad ſortem erat, vt 7 ad 6; accreſcebat enim ſorti obolus vnus. contrà Latinis vſura centeſima, quia centeſimo menſe ſortem æquaret. eadem quæ apud Græcos drachmalis, ſunt enim 100 drachmæ in minâ.

Diobolum duos valens obolos. hinc Plauto anus diobolaris: Atticum numiſma fuit, ἔχον γλαῦκαν ἐντετυπωμένην, noctuæ effigie ſignatum. & hinc prouerbium natum, Noctuas Athenas, tanquam ſi guttam mari adiiceres: illa enim vrbs hoc nummo quàm maximè abundabat. Ex argento fuiſſe, Plutarchus in Lyſandro ſatis apertè indicare videtur:

tur: idque de triobolo & tetrobolo quoque verum crediderim.

Triobolum, quod & ἡμιδεάχμιον, semidrachma, quia sex oboli drachmam facerent. Plautus Rudente: Non potest hinc abesse triobolum. & Pœnulo: Homo trioboli. Habebat vtrimque insculptam effigiem Iouis.

Tetrobolum, oboli quatuor, drachmæ bes. Alterâ parte Iouis effigie, alterâ duabus noctuis signatum.

Chalcus oboli pars octaua. Obolus chalcos habet octo, inquiunt Hero, Pollux, & Suidas. Atq. ideò octo & quadraginta chalci drachmam, & duodecim chalci sestertium Romanum constituent. Chalcum Plautus Pœnulo, actus 1 scena 2 obolum æratum mihi dixisse videtur, vt verbum de verbo exprimeret. Vbi cùm Anterastilis prosedas seruiculas appellasset per conuitium, seruulorum sordidulorum scorta diobolaria: vtpote quæ diobolo sui copiam facerent, indignabundus Milphio seruus, qui eius fastum retunderet, contemptim ei reponit, Quoius ego obolo ærato septem noctes non emam. Ergo obolum æratum, non Atticum obolum, sextam drachmæ partem, (quãuis & hunc ex ære fuisse docuerim) sed chalcum, hoc est, octauam oboli partem, planissimè his verbis significari intelligo.

Dichalcum, duo chalci, quarta oboli pars, quæ & propterea τεταρτημόριον dicta.

Semiobolum, chalci quatuor, vtpote oboli semissis.

Λεπτὸν, chalci pars septima, oboli sexta & quinquagesima, drachmæ 336. Suidas ex Diodoro,

Ὀβολὸς δ' ἐστὶ παρ' Ἀθηναίοις ὀκτὼ ἐστὶ χαλκῶν· ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτῶν ἑπτά: Obolus Atticus habet chalcos octo: chalcus λεπτά septem. idem iterat in voce μνᾶ. Marcus Euangelista similis nummuli meminit, de vidua loquens, quæ in gazophylacium proiiciebat λεπτὰ δύο. Notandum tamen hoc κέρμα illius Attici fuisse triplum; eo verò nihilominus vsum Euangelistam, quòd nullum vocabulum inueniret aptius. Hoc enim λεπτὸν (si denarium statuas decussis ex im) fuit denarii $\frac{1}{128}$: illud autem Suidæ Atticum erat, drachmæ pars 336.

Aureum numisma est stater.

Stateres aurei in vsu fuere varii, Atticus, Cyzicenus, Philippicus, Alexandrinus, Daricus, Crœsius.

Stater aureus Atticus fuit pondere didrachmi, quod Pollux libri 4 capite 24 his verbis docuit: Ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ δύο εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. Atqui drachmam octoginta granorum pondere fuisse, ex vncia planum fit, cuius ipsa pars sit octaua. Et propterea drachmæ duæ granorum 160 aureo Attico stateri pondere æquabuntur: quo hoc seculo, Anglici Rosati nobiles, & Edoardei instituti sunt. Attici stateris valorem quinque & viginti Atticis drachmis definio ex Pollucis libri 9 capite 6: Ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ μνᾶν ἐδύνατο. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱσταμένοις τὸ μνᾶν τῆς ῥοπῆς στατῆρα ὀνομάζουσι: Aureus stater minam valebat: nam & in appensis minam pondo staterem vocant. Id enim dicit, minæ pondus staterem etiam dici, quia aureus stater argenti minâ, vel centum drachmis rependatur. Sed aureum hunc staterem iam non vnicum aliquem nummum intelligas oportet, verùm quatuor.

tuor. Nam vt quatuor argenteæ drachmæ stater dicuntur: ita hîc quatuor aurei didrachmi pro statere vsurpantur; hoc est pondus auri drachmarum Atticarum octo, siue vnciale, taxatur drachmis argenti 100. Ideoque duarum drachmarum pondus, quo singuli Attici aurei signabantur, drachmis quinque & viginti. Nihil hîc me hallucinatum, neque verba Pollucis perperam interpretatum, eundem tibi autorem dabo. Ibidem enim, vbi de Cyrenensibus verba facit, non aliâ mente dixit, Ἦν δ' ἡ δραχμὴ οὐ νόμισμα μόνον, ἀλλὰ καὶ πεντακοντάδραχμον, καὶ πεντάδραχμον: Drachma verò non solùm numismatis nomen erat, sed & quinquaginta drachmæ & quinque drachmæ apud Cyrenenses. Et paulò post, Ἦν μὲν, ὡς Ἀριστοτέλης φάσιν, ἐν Κυρήνῃ καὶ τετραστατὴρ, καὶ τετραστατηρεία, ἡμιστατήρων χρυσᾶ νομίσματα: Erant equidem, vt Aristoteles ait, quadristater seu tetrastater & tetrastateria, in Cyrene dimidiorũ staterum aurea numismata. Planè hæc, nisi nostram interpretationẽ admittas, falsa erunt, & pugnantia loquetur Pollux: quæ tamen, modò animum aduertas, verissima comperies. Hoc enim sibi vult, à Cyrenensibus aureum quendam nummum signatum, qui tetastater dictus sit, ob eam causam, quod drachmis quatuor æquiponderet: videtur autem aureus vnius drachmæ pondere apud eosdem aliquando in vsu fuisse; & cùm omnes aureos promiscuè stateres vocitarent, hos maiores ad distinctionem eleganter tetrastateras indigitasse: quippe qui illorum essent quadrupli, quem ex valore in eâdem republicâ dixit suprà vocari πεντακοντάδραχμον quinquagintadrachmalem. Caue credas vllum nummum argenteum

tali

tali pondere ſignatum: certè ipſiſſimus hic ille aureus fuit. Atqui ſubiicit, ἡμιστατήρων χρυσᾶ νομίσματα, quomodo tetraſtater ſtateris erit dimidium; niſi illud ad numiſma, hoc verò ad pondus referas, & ſtaterem hunc vncialem conſtituas. Nam cùm ſtaterem aureum Atticis drachmis 100 rependi dixerit, & hoc in loco tetraſtaterem drachmis quinquaginta à Cyrenenſibus commutari: conſequens eſt hunc tetraſtaterem ſignatum pondere illius ſtateris dimidio, quem vncialem fuiſſe diximus. Quamobrem, inquam, aureus Atticus ſtater pondere didrachmi quinque & viginti drachmis argenti valuit. Fuitque ratio auri ad argentum, vt 25 ad 2: quam analogiam Romani quoque ſecuti videntur, cùm aureum vnum duorum denariorum pondere quinque & viginti argenteis denariis commutauerunt.

Stater Cyzicenus. Huius valorem Demoſthenes in Phormionem nominatim expreſſit: Φορμίων δέ φησιν ἀποδοῦναι Λαμπίδι ἐν Βοσπόρῳ ἑκατὸν καὶ εἴκοσι στατῆρας Κυζικηνοὺς ὁ δὲ Κυζικηνὸς ἐδύνατο ἐκεῖ εἴκοσι καὶ ὀκτὼ δραχμὰς Ἀττικάς: Phormio ait ſe Lampadi in Boſphoro reddidiſſe centum viginti ſtateras Cyzicenos; at ſtater Cyzicenus illîc duo de triginta drachmas Atticas valet. Eius quidem pondus nemo expreſſit: ſi tamen è valore huius coniecturam capere libeat, in promptu eſt colligere: cùm 25 drachmæ Atticæ rependantur aureo 160 granorum, tum 28 drachmas valere auri grana $179\frac{1}{5}$. quo pondere Macedoniæ regum aurei Philippi & Alexandri hodieque adhuc extant. Nummum hunc in Ponto, Bithynia & regionibus Euxino mari adiacentibus frequentatum Xenophon indicium

cium facit, quiq. in libris de expeditione Cyri eius non vno in loco mentionem fecit. lib. 6 vbi milites ab Heracleensibus Ponticis μυεὶς Κυζικηνὸς mēstruum exercitus stipendium exigūnt, decem millia Cyzicenorum faciunt 280000 drachmas Atticas. Et libro 7 Seuthes militi menstruum se daturum pollicetur Cyzicenum vnum, turmæ ductori duplum, præfectis exercitus quadruplum, hoc est, drachmas Atticas 28, 56, 112.

Stater Philippicus, quem numisma regale Horatius in Arte vocauit, auri bonitate nulli secundus, & à scriptoribus passim pro optimo purissimoque vsurpatus. Plautus Bacchidibus: Nam istis auro fortassis opus est: (respondet alter) Et Philippeo quidem. Fuit autem nummus iste Philippi effigie, qui pater Alexandri fuerat, expressus. Namque illi ex aurifodinis Crenidis (quæ Philippi postea ab eius nomine dicta) supra Strymonem eruta mille annua talenta, Diodorus Siculus libro 16 autor est. Philippi nummum vnicum, & Alexandri Macedonum, solertissimus veterum nummorū æstimator Nicolaus Rockoxius possidet, vtrumque eodem pondere granorum 179. Is haud dubio ab initio paulò grauior fuit, vt pote granorum 180 aut 183. Vnde planum arbitror nummum hunc non minoris fuisse Cyziceno: ideoque etiam 28 drachmis, aut non multò pluris commutatum.

Stater Alexandrinus. eum vt pondere Philippeo, ita valore Cyziceno parem, iam satis arbitror liquere.

Stater Daricus, quem auro itidem purissimo & obryzo percussum, præter Herodotum Pollux quoque libri 2 capite 3 testatus est: Καὶ Δαρεικοὶ ἀπὸ Δαρείου,

Δαρεικὸ, ὡς ὑπ᾽ ἐκείνȣ ἀκριβωθέντες ἐς κάθαρσιν τȣ̃ χρυσίȣ: Darici, à Dario, vtpote qui summâ cum curâ & diligentia ab ipso sint facti: Videlicet à Dario primo Hystaspis filio: eosque viginti Atticis drachmis commutatos, quosdam tradidisse Suidas ait; aliis contrà eundem Attico stateri aureo æquiparantibus. Daricum staterem auri siclo rependit Iosephus Antiquitatis Iudaicæ libri 3 capite 9. quod enim Moses dixerat Numerorũ capite 7 commate 86. Acerræ aureæ duodecim plenæ suffitu derũm (siclorum) vnaquæque, prout est siclus sacer: hoc ille per Daricos effert, ἕκαστος θυΐσκην κομίζει Δαρεικὺς δέκα δυναμένην: Singuli (è duodecim tribubus Israëlis) thuribulum afferunt decem Daricorum. Siclus auté, vt eodem capite idem annotauit, pondus habet Atticarum drachmarũ quatuor. Quare Daricus fuit semuncialis, si Iosepho credimus, & drachmis Atticis quinquaginta taxandus, atque valore ἡμιμναῖος, vt stater Cyrenaicus πεντακοντάδραχμος. Neque Hero meus abludit, qui talentum auri Darico taxet, vt suprà annotauimus. Nota Darici, saltem alterâ parte, sagittarius: Plutarchus Artaxerxe: τὸ γὰρ Περσικὸν νόμισμα τοξότην ἐπίσημον εἶχεν. Vnde vrbanum Agesilai dicterium, cùm ex Asia in Græciã felicissimo rerũ successu vsus reuocaretur, Græcia bellis ciuilibus flagrante, & ob δωροδοκίαν in viscera sua grassante, optimatibus diribitore Hermocrate Rhodio à Persa auro circumuentis, vt in Lacedæmonios mouerent, amicis, iam itineri intentus, inquit, Asiâ se triginta millibus sagittariorum expelli: tanti enim eâ res Artarxerxi constiterat, vt Græcorum primates in bella ciuilia concitaret. quæ summa esset nobilium Anglicorum,
seu

seu frosatorum Edoardicorum millia sexaginta: drachmarum Atticarum 3800000: florenorum Hollandicorũ, prouthodie res nummaria obtinet, 1056000. Tribus item Daricorum millibus Parysatim matrem Artarxerxis cum ipso in punctum aleâ lusisse, autor est Plutarchus.

Stater Crœsius. Et hunc quoque auro obryzo signatum disertis verbis libro 4 pronuntiat Pollux, εὐδοκιμὸς δ' ὁ Γυγάδας χρυσὸς, καὶ οἱ Κροισεῖοι στατῆρες, aurum quoque Gygis probatissimum, nec non Crœsii stateres. Hos Daricis æquales ex Aristophanis Commentatore liquere videtur.

NumismaHebræum ad extremũ adhuc superest. *Siclus, dimidius siclus, sicli pars tertia Hebræorum nummi sunt argentei.*

Sicli pondus Iosephus libro 3. cap. 9 Antiquitatum Iudaicarum autor est Attici tetradrachmi ponderi par fuisse. ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ἑβραῖον ὢν ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας, Siclus numisma hebræum valet Atticas drachmas quatuor. Idem ex Philone Iudæo de iis quæ legis instar præcipiuntur, in decalogi præceptum tertium, quartum, quintum, de voti satisfactione: verba Mosis Leuitici 27 ita habent, Erit autem æstimatio tua maris, à nato viginti annos vsque ad sexagenarium, erit inquam, æstimatio tua quinquaginta sicli argentei, prout est siclus sacer: & reliqua quæ sequuntur. id verò ita reddidit Philo: Κελεύει γὰρ ἀπὸ εἰκοσαετίας ἄχρις ἑξακονταετίας ἀνδρὸς εἶ τιμὴν δραχμὰς διακοσίας νομίσματος ὁλαργυρίου. Iubet à vicenario ad sexagenarium, viri multã esse drachmas ducentas è solido argento. Ergò ducentæ drachmæ valent siclos quinquaginta, & quatuor Atticæ drachmæ singulos,

los. Verumenimuero ſiclum Hebræum etiam dimidiæ argenti vnciæ æquari Solomoh Iarhæus & Moſes Gerundenſis Iudæi ante annos amplius quadringentos ſcriptum reliquerunt. Sicli typus parte vnâ vaſcul illius effigies, quod Moſes iuſſu Domini plenum manná in ſanctum ſanctorũ ad omnia ſeculorum monumenta repoſuit, cum hac inſcriptione *ſecel Iſraël*: parte alterâ ramus amygdalinus Aaronis florens, cum inſcriptione *Ieruſchalaim kedoſſah*, Ieruſalem ſancta: idq. literarum charactere vetuſtiſſimo, qui Samaritanus dicitur, cuiuſmodi formulâ ante decem tribuum defectionem Iſraëlitæ quoque vtebantur: nam poſtmodum Iudæi, vt à ſchiſmaticis tribubus ſe ſegregarent, ex eo tempore demum quadratis, cuiuſmodi hodie adhuc vſurpant, vti cœperunt. Huiuſmodi ſiclum poſt tot ſeculorum naufragia ad manus ſuas deueniſſe Arias Montanus in Antiquitatibus ſuis Iudaicis teſtatur, cuius figuram, craſſitiem, & literarum antiquam inſcriptionem ibidem expreſſit. cuius pondus dimidio dalero Hiſpanico, aut quatuor Iuliis Romanis, vel duobus Venetis Mocenigis pene par ait: ſed argenti bonitate omni nummo noſtri ſeculi potiore. hic ſiclus ſanctus & ſanctuarii ſiclus in S. Scriptura vocatur. quia ſecundũ hunc omnis ſacra æſtimatio fiebat Leu. 27 verſ. 25, & Exodi 30 v. 13. Fuitque ſicli huius pondus, quemadmodum ibidem à Moſe, & Ezechielis 45. verſ. 2 definitur viginti Gera, tanquam ceratiorum aut ſiliquarum viginti. *Atque ita Gera, ſicli eſt pars vigeſima.*

Dimidius ſiclus, pondere decem Gera, Exodi 30. v. 13. quem eodem typo notatum, & à ſe viſum

ſum Moſes Gerundenſis ſcribit, ſed pro *ſecel* inſcriptum *haazi ſecel*, hoc eſt, dimidius ſiclus.

Fuit & tertia ſicli pars. Nehemiæ 10. v. 32. inſtituimus nobis præcepta, imponentes nobis trientem ſicli quotannis, ad cultum domus Dei noſtri. pendebat itaque $6\frac{2}{3}$ Gera. Denique & hoc notandum, quod, cùm in ſacris de pretio rei exſoluendo agitur, vbi ſicli mentio fit, ratio ad argentei ſicli valorem ſit referenda: at cùm de pondere agitur, ſicli pondus, hoc eſt, tetradrachmum vel ſemunciam intelligendam. Iſta erant, quæ de veteris pecuniæ ratione ſummatim & perſpicuè annotare conſtitueram: cuius ſummam vniuerſam, tanquam in breuiario hîc ob oculos pono, æſtimatione ad noſtri ſeculi monetam reuocatâ.

Aureus Romanus 25 denariûm, quamdiu è librâ 45 ſignati ſunt, valet Roſatum Edoardicum $1\frac{3}{40}$. *Ducatos Vngaricos* $2\frac{7}{20}$ *Coronatos Gallicos* $2\frac{20}{37}$. *Et, prout hoc anno 1612 res nummaria Ordinum edicto conſtituta eſt, Daleris Imperialibus* $3\frac{11}{12}$: *Hiſpanicis autem Daleris, quos Regales vocant (& pondus habent granorum 569) ad momentum ſi expendas, duntaxat quatuor. Nam cùm auri ad argentum analogia hodie ſit eadem, quæ 626 ad 47 hoc eſt* $13\frac{3}{4}$ *vt proximè; id per proportionem concludes, hoc modo. Cùm auri pondus 47 granorum argenti 626 granis contra carum ſit; itaque pondus aurei Romani 171 valore æquabitur argenti granis 2277. cuius pars quarta 569 planiſſimè Regalis Hiſpanici pondus reddit: & vigeſima quinta quatuor dalerorum pars grana 91 antiqui denarii verum pondus.*

Poſtquam autem è librâ duo & ſeptuaginta ſolidi ſignari cœpere, tum valore & pódere quàm proximè

ximè æquauere nummum aureum Anglicum Geniatum, Anglottum vulgò ab Angelo seu Genio alato indigitant: qui hodie valet Daleros Imperiales $2\frac{7}{16}$. *Florenos Hollandicos quinque cum stuferis septendecim. Eadē ratio in denariis posterioris seculi ferè obtinet. Sunt enim argento multò leviore signati, vt alii* $\frac{4}{5}$ *alii* $\frac{3}{5}$ *priorum habeant. Quod propterea moneo, ne omnes denarios eiusdem valoris & ponderis fuisse existimes. Temporis enim ratio hic apprimis obseruanda, quam supra in denarii descriptione tetigimus.*

Denarius itaque quamdiu fuit granorum 91 erit $\frac{1}{25}$ *quatuor dalerorum Regalium. Et propterea stuferorum Hollandicorum* $7\frac{13}{25}$, *seu* $7\frac{1}{2}$.

Vbi vero imminutum ad grana 80, quo pondere hodie penè omnes sunt, paucis exceptis, taxabis stuferis $7\frac{1}{25}$, *aut abiecta particula exactè tantùm stuferis 7. At ex hodierna auri ad argentū analogia* $6\frac{5}{8}$

Quinarius seu Victoriatus $\frac{1}{25}$ *duorum dalerorum Imperalium.*

Sestertius eius pars quarta stuferus $1\frac{3}{4}$.

Dupondius (quamdiu assis fuit denarii pars decima) daleri Hispanici $\frac{4}{125}$ *seu Holl stuferus* $1\frac{1}{2}$.

Assis tum fuerat stuferi $\frac{3}{4}$, *seu daleri Hispanici* $\frac{2}{125}$. *Vbi vero sedecim assibus denarius commutatus est, Dupondius fuit daleri Hispanici* $\frac{1}{50}$. *Assis* $\frac{1}{100}$. *Sembella* $\frac{1}{200}$. *Triens* $\frac{1}{300}$. *Quadrans* $\frac{1}{400}$. *Sextans* $\frac{1}{600}$. *Vncia* $\frac{1}{1200}$.

Ita post argentum signatum. Verùm & illud mihi notandum arbitror, longè aliâ taxatione Dupondium, Assemq́, reliquasq́, minores partes æstimanda, vbi primùm argentum à Romanis signari cœpit. Enimuerò tū primùm asses sextātales instituti sunt:

Et

Et haud dubiò argenti ærisq́ pretia legittima æstimatione inter se contenderunt. Atqui tum asses decẽ sextantali pondere denariũ faciebant: quare sextantes sex, quæ est integra æris libra $\frac{3}{5}$ *denarii repensa fuit. Et denarii tres libris æris, seu antiquis assibus quinq. Quamobrem ex istâ analogiâ grauis æris æstimatio quoq. debuit institui. Vt non decimam, vel vt postea sedecimã denarii partem, sed* $\frac{3}{5}$ *denarii graue æs intelligamus. Qoud ipsũ notasse nõ arbitror abs re fore.*

Sestertium valet 1000 *sestertios, denarios* 250, *Coronatos Gallicos* 25.

Talentum Atticum & Euboïcum Edoardæos Nob. 240, *Babylonicum* 280, *Æginæum, & Rhodium* 400, *Syrum vel Alexandrinum* 60, *Atticum maius* 320, *Ptolemaicum* 80.

Eadem analogia in minis & cæteris particularum particulis quoque obtinebit.

Nam mina Attica valet 4 *Edoardæos Nobiles, Babylonia* $4\frac{2}{3}$ *Æginæa & Rhodia* $6\frac{2}{3}$, *Syra & Alexandrina* 1, *Attica maior* $5\frac{1}{3}$, *Ptolemaica* $1\frac{1}{3}$.

Atticus aureus stater Anglico Edoardæo pondere æqualis, fuit drachmarum 25, *seu cor. Gall.* $2\frac{14}{37}$.

Stater Cyzicenus Lampidi in Bosporo 28 *drachmarum,* $2\frac{1}{2}$ *coronati Gallici.*

Stater Philippicus, Daricus, Crœsius, Alexandricus drachmarum 50, *coronatorum Gallicorum* $2\frac{1}{2}$.

Drachma Attica $\frac{1}{10}$ *cor. Gallici, didrachmum* $\frac{1}{5}$, *tridrachmum* $\frac{3}{10}$, *tetradrachmum seu stater argenteus* $\frac{2}{5}$, *pentadrachmum* $\frac{1}{2}$, *vt proximè.*

Obolus $\frac{1}{60}$ *coronati Gallici, diobolum* $\frac{1}{30}$, *triobolum* $\frac{1}{20}$, *tetrobolum* $\frac{1}{15}$.

Chalcus $\frac{1}{480}$ *coronati Gallici, dichalcum* $\frac{1}{240}$ *semiobolus* $\frac{1}{120}$.

Siclus argenteus æquatur tetradrachmo Attico, $\frac{2}{5}$ coronati Gallici: dimidius siclus, didrachmo, $\frac{1}{5}$ cor. Gall. tertia pars sicli $\frac{2}{15}$. Gera, seu obolus Hebræus $\frac{1}{50}$ coronati Gallici.

Exempla quædam ex veterum scriptis selecta, in quibus horum vsum commonstremus, demum hîc subiecimus. Illud præmonitum volo, me Aurei Romani & Attici stateris, itémque drachmæ & denarii significationem promiscuam habiturum. Et 10 drachmas coronato Gallico æstimaturum: ac 25 drachmas seu denarios, qui sunt aureus Romanus, & stater Atticus, coronatis $2\frac{1}{2}$. tantillum enim dabimus calculi facilitati, vt tyroni tantò sit expeditior.

Geneseos 23 v. 15. Abram ab Ephrone Hetthæo agrum sepulchri causâ emit quadringentis siclis argenti, hoc est, coronatis Gallicis 160, vel daleris Imperialibus $234\frac{2}{3}$.

Exodi 21. v. 32. Argenti triginta siclis præscripta mulcta est domino, cuius bos seruum alterius occiderit. sunt coronati Gallici 12.

Iosue 7 v. 21. ducentos argenti siclos sacrilegio à se subreptos Gacham confessus est. sunt coronati Gallici 80.

2 Regum 7. Manahem populo Israëlitico quinquagenos siclos viritim imperauit, muneris Assyrio regi dandi causâ. sunt coronati Gallici 20.

Numerorum 31. v 32. Cùm Madianitis ad internecionem deletis nullus miles ex Israëlitarum castris desideraretur, aurũ omne, quod ex præda conflauerant, Deo consecrârunt. erat autem totum illud aurum oblationis, quod obtulerunt Iehouæ,

sede-

sedecies mille septingentorũ quinquaginta siclorum. id inquam ita de auri pondere intelligendum, vt 16750 auri semunciæ, vel vnciæ 8375 fuerint: at vnciam auri $23\frac{3}{4}$ carattorum 4 Edoardæis Nob. taxauimus. ergo summa huius auri votiui fuit coronatorum 33500.

Samuelis 2 cap. 24. Emit Dauid aream illam & illos boues siclis quinquaginta. Intelligendum de area ad altare extruendum sufficiente. Et sunt coronati Gallici 20.

Paralipomenon 1 cap. 21. Appendit Dauid Ornam pro loco illo siclos aureos pondere iusto sexcentos. Hæc de toto monte Moria, in quo Solomon templum domino ædificauit, intelligenda sunt. & sunt auri vnciæ trecentæ, seu Nobiles Edoardæi 1200.

1 Samuelis 17 v. 7 ferrum hastæ Goliat 600 siclorum ponderis, hoc est vnciarum 300, vel librarum 25, cùm singulis tribues vncias 12. hinc reliqua hastæ magnitudo & crassities instar licii textorii æstimatu haud difficilis erit.

Marci 6. Dominus noster Iesus Christus 5000 viros 5 panibus & 2 pisciculis satiauit. quibus discipuli clamitabant opus esse 200 denariis ad emẽdos panes, hoc est coronatis Gallicis 20.

Liuius l. 1. Seruius Tullius censum instituit, &c. Populum Romanum in classes quinque distribuit. Prima classis est instituta ex iis qui centum milliũ æris, aut maiorem censum haberent, hoc est 2400 Edoardæorum Nobilium. Secunda intra centum vsque ad septuaginta quinque millium censum; hoc est ad 1800 Edoard. Tertia ad quinquaginta milliũ censum, hoc est 1200. Edoard. Quartæ clas-

 sis

ſis cenſus 15 millium, hoc eſt, 360 Edoard. Quintæ claſſis vndecim millibus æris definitus eſt. Hoc loco non aſſes tantùm ſed graue æs intelligendum, cuius valorem ſuprà definiuimus. Poſtmodum equeſter ordo quadringentis millibus nummûm definitus eſt. Plin. lib. 33. c. 2. Conſtitutum ne cui ius eius eſſet (*aurei annuli*) niſi cui ingenuo ipſi, patri, auoque paterno ſeſtertia 400 cenſus fuiſſet; hoc eſt, coronatorum Gallicorum 10000. Huc ſpectauit Horatius:

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſint,
Plebs eris. ———

Suetonius in Auguſto: Senatorũ cenſum ampliauit, ac pro octingentorum millium ſummâ duodecies ſeſtertiûm taxauit, ſuppleuitque non habentibus. Ergo pro cenſu ſenatorio 20000 coronatorum, inſtituit 30000.

Cicero Verrinis ait Verrem ſeſtertiûm quadringenties, contra legem abſtuliſſe, hoc eſt 40000000 ſeſtertiûm, quæ ſumma valet 1000000 coronatos Gallicos. Tantidem M. Lollii ex Oriente rapinas Plinius æſtimat lib. 9 cap. 34.

Ibidem margaritam, quam Cleopatra in aceto maceratã vnico hauſtu abſumpſit, ſeſtertiis centies taxauit; hoc eſt 10000000 ſeſtertiûm, qui ſunt coronati 250000.

Suetonius Caligulâ: Vicies ſepties millies ſeſtertium non toto vertente anno abſumpſit. quæ infinata pecuniæ vis eſt. nam 2700000000 ſeſtertiûm faciunt coronatos Gallicos 67500000.

Gellius c. 2. lib. 5. Noctium Atticarum: Equus Alexandri regis & nomine & re Bucephalus fuit. Emptum Chares ſcripſit talentis tredecim, & regi Philip-

Philippo donatum. æris nostri summa est sestertia trecenta & duodecim. Plutarchus quoq. 13 talentis emptum tradit. Quare 13 talenta & 312 sestertia tantundem valent. itaque multiplicatis 13 talentis per 600 coronatos, vel 312 sestertiis (genere neutro) per 25 coronatos, eadem summa conflatur 7800 coronatorum. pretium Bucephali.

Cicero pro domo: Superficiem ædium consules de consilii sententia æstimarunt sestertiûm vicies. sed 2000000 sestertiûm sunt 50000 cor. Gall. Et rursum Tusculanam villam 500000 sestertiûm; hoc est 12500 coron. Gall.

Cicero 2 Philippica de se: Ego amplius sestertiûm ducenties acceptum hæreditatibus retuli. sestertiûm 20000000 sunt 500000 cor. Gall.

Appianus lib. 4. Bellorum Ciuilium, Ciceronis caput ab Antonio repensum 25 myriadibus Atticarum drachmarum. sed 250000 drachmarum sunt 10000 Edoardæi Nobiles.

Apud Herodotum lib. 7. Pythius quidam Bithynius profitetur Xerxi opes suas, easque regi donat. quippe possidere se argenti talenta bismille, auri myriadas quadringentas, demptis septem millibus aureorum Daricorum. Talenta argenti 2000 si sint Babylonia (vt credi par est) sunt 560000 Edoardæi Nobiles. Et 4000000 Daricorum sunt 8000000 Edoardæi Nobiles. inde si demas 7000 Daricos, seu Edoardæos 14000 summa omnium erunt 8546000 Edoardæi.

Plutarchus in vita Pompeii sub initium, ait Demetrium Pompeii libertum reliquisse rem quadringentorum talentorum, hoc est 96000 Edoardæorum.

Matthæi 19 in parabola de ſeruo debitore, cui noſtra peccata comparantur, ait Chriſtus remiſſum ei debitum 10000 talentorū hoc eſt (vt Attica intelligamus, veluti in didrachmo cenſus) 240000 Edoardæorum; qui tamen à conſeruo 100 denarios, hoc eſt Edoardæos 4 tam acerbè exegerit.

Plin. lib. 33. cap. 3. Iam Cyrus deuictâ Aſiâ auri pondo 33000 inuenerat, præter vaſa aurea, aurumque factum, & in eâ folia ac platanum vitemque: Quâ victoriâ argenti quingenta millia talentorum reportauit, & craterem Semiramidis, cuius pondus 15 talenta colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo 80 patere Varro tradit. Age igitur huius ſummæ rationem ineamus. auri purioris $23\frac{3}{4}$ carattorum vnçia 4 Edoardæis nobis ſuprà æſtimata eſt. itaq. 33000 pondo ſunt Edoardæi 1584000 argenti talenta 500000 ſunt Edoardæi 960000000. Summa vtraque Edoardæorum 961584000.

Exemplorum præterea affatim apud Budæum paſſim reperies. In quorum calculo tete exerceas.

FINIS.

Errata.

P. 22. v. 17. ſcribendi, l. ſcribenti. p. 27. v. 18 auri, l. argenti. p. 36. v. 30 Edoardæum aurum, l. Edoardæi auri. p. 38, v. 25 vt 200, l. vt 100. p. 45 v. 2, $\frac{1}{2}$ vel $\frac{2}{3}$ l. $\frac{1}{2}$ vel $\frac{3}{4}$. p. 48. v. 15. τας, l. ἐπι. v. 18 κατά τς. l. κατά τινας. p. 52. v. 3. libram, l. vnciam.